

6. XXV, Feb^a 3^a, n^o 3

(Pág 32)

Viernes á las 8 y $\frac{1}{2}$, y á las 4.

(2)
A. and W. P. & W. A. Smith

700

PUBLICA DISCEPTATIO
PHILOSOPHIAM,

THEOLOGIAM, SACRAM SCRIPTURAM,
ET ECCLESIASTICAM HISTORIAM COMPLECTENS,
H A B E N D A

A D. D. IOSEPHO IZQUIERDO, ET LLEDÓ,

ORIOLENSIS SEMINARII TOGATO ALUMNO.

P R A E S I D E

D. D. IOSEPHO LLEDÓ, ET ANTÓN,

PRESBYT. EIUSDEM SEMIN. ALUMNO, PHILOSOPHIAE OLIM, MODÒ
SACR. THEOLOG. PROFES. AC PRO-RECTORE.

*Locus certamini parabitur in Orc. SS. VV. et MM. Iu-
stae, et Ruffinae Templo, Collegii
Palaestra.*

DIE XIX. MENSIS IUN. AN. MDCCLXXXIX.



MURCIAE:

APUD VIDUAM PHILIPPI TERUEL: VIA LINTEARIA.

R. 16.606

IUSTO PRÆDILECTIONE DEI SERVUS

GRATIOSO DAVIDIS FILIO

PISSIMO FAMILIÆ CHRISTI PROCURATORI
THEOPHILANO
CASTISSIMÆ VIRGINIS CASTISSIMO SPOSO
ET DOCTISSIMO ET VERTUTUM DOMESTICO

SANCTO JOSEPHO

A D. D. JOHANNIS BAPTISTÆ MARIÆQUE VIRGINIS

ET DE GRACIA ET FORTUNA SUI DOMINI

PRÆTORI

D. D. JOHANNI BAPTISTÆ ET ANTONIO

PRÆTORI CIVITATIS S. ALBERTI, THEOLOGICÆ CLAU. HONOR.

SAER. THEOLOG. SPOSO. AC THEO. RECTORE.

Locus et dies: JOSEPHI MARIÆQUE VIRGINIS IN DIE 22. MAR. 1788.

Tempus: in Collegio S. Alberti

Palatinæ

Procurator et Sponsus AN. MDCCCLXXXVIII

Corpus in infernum secula seculi

Reporte si fructus vestitus

Pyrgium hanc hanc hanc

O me feliciter hanc hanc hanc

Non mundi gratia, non hanc hanc

Sed, quod in, hanc hanc hanc

ANNO VICESIMO TERCELO TRICESIMO: VIA LINGVÆ

IUSTO , PRUDENTIQUE DEI SERVO,
GENEROSO DAVIDIS FILIO,

FIDISSIMO FAMILIAE CHRISTI PROCURATORI,
CASTISSIMAE VIRGINIS CASTISSIMO SPONSO,

SANCTO IOSEPHO

THEOLOGICA PLACITA IN AETERNUM PIETATIS,
ET DEVOTIONIS ARGUMENTUM HOC CARMINE

D. O. C.

IOSEPHUS IZQUIERDO ET LLEDÓ.

*Providus , et solers rerum si postulat ordo,
Corpus ut infirmum sedula dextra iuvet;
Robore si fractis validus , si dives egenis
Egregiam placidè ferre tenetur opem:
; O me felicem , cui non patrimonia Croesi,
Non Mundi gazae , non periturus honor
Sed , quod eis, Ioseph, virtute, et nomine praestat,
Um-*

Umbo tuus fulgens, atque iuvamen adest!
; Ecquid enim poterit supplex homo corde precari,
Quod tua non tradat protinus ampla manus?
Qui ergo sacram Domini sobolem, castamque Pa-
rentem

Servasti per iter pervigil, atque domi,
Quique graves superans curas, alimenta dedisti
Ambobus, parcos arte parante cibos;
Nullis me tectum clypeis, ac prorsus inermem,
Hostes expellens, protege, care Pater.



QQ. PP.

I.

Singulae eruditissimi viri P. Antonii Goudin propositiones, quas operi inscripto: *Philosophia Thomistica iuxta inconcussa, tutissima-que D. Thomae Dogmata quatuor tomis comprehensa* hoc titulo *Conclusio* inseruit, à nobis concertationi exponuntur.

II.

Fratris Iacobi Hyacinthi Serry, Ord. Praedic. Doct. Sorbonici Opusculum de gratia primi hominis, & Angelorum (ubi D. Augustinus D. Thomae, eiusque Angelicae Scholae conciliatur) propugnandum suscipimus.

III.

Ioan. Laurentii Berti Florentini Fratris Eremitae Augustiniani Librum XXIV. de Theologicis Disciplinis, in quo de corporis, animique agitur oblectamentis, tuemur, atque ab oppositis rationibus vindicamus.

IV.

Apologeticam Dissertationem de Disciplina Arcani contra Disputationem Ernesti Tenzelii per D. Emmanuelem à Schelstrate S. T. D. Bibliothecae Vaticanae Praefectum, et Ecclesiae Antuerpiensis Canonicum ab adversariorum argumentis immunem ostendere constituimus.

V.

Fr. Io. Franc. Bernardi Mariae de Rubeis Ord. Praedic. Dissertationem de Summa Theologica, genuino, certissimoque S. Thomae Aquinatis opere, adversus Ioannem Launoium, et Petrum de Alva, et Astorga; deque Supplemento tertiae Partis, ac etiam tempore, quo idem opus lucem aspexit; necnon versione Graeca, Armenica, ceterisque tutari pollicemur.

VI.

A cl. Wadingo Annalium Ordinis Minorum Parente, Angelicum Praeceptorem plurima, quae in Theologica Summa inveniuntur, ab

A

Ale-

* II *

Alexandro Halensi accepisse, illumque huius extitisse Discipulum contendente, mentem nostram seiungimus.

VII.

Gentium Apostolum Paulum in nostram sese contulisse Hispaniam, ibidemque verbi Dei praedicatione, reliquisque muneris sui functionibus Catholicae Ecclesiae fundamenta iecisse, ita SS. Patrum auctoritatibus, selectorumque Criticorum suffragiis fit sanè perspicuum, ut vel contumaces relinquat inermes, nosque incredibili laetitia perfundat.

VIII.

¡ O terque, quaterque felix Hispaniae Regnum! ¡ O nos omnes beatos, qui à piissimo misericordiarum Patre, Deoque totius consolationis S. Iacobum Apostolum nostrae Peninsulae patronum accepimus, ut Regionem hanc suis consecraret vestigiis, Divino verbo nos erudiret, ac sacrosanctam Iesu-Christi fidem praedicaret! Gloriam hanc non pauci oestro quodam perciti nobis aemulantur, et eripere tentant; sed quamvis omni virium, nervorumque contentione pugnent, nullo unquam tempore id adipiscentur.

IX.

Execranda illa humanitatis monstra, quae in id unicè nata esse videntur, ut scelestorum animis densissimam offundant caliginem, ac Republicae tranquillitatem perturbent, altiores ambientia recubitus, primaque subsellia occupandi ardore correpta, infestio-remque doctrinam, qua nihil magis natura adversatur, nihil metuit, horretque magis, tradiderunt. ¿ Noscis illam? venerandam Principum Maiestatem in vituperationem adducere moliantur, imo et iniquos Reges, saevosque Tyrannos, aequo non refragante, trucidari posse contendunt; ¿ sed quis haec inter Schythas vixisse, aut exuta hominum persona, ferarum induisse naturam inficiabitur? Igitur contra pestem illam, arma pugilicè stringimus, constantique animo propugnamus, Principes vel etiam flagitiosissimos summa prosequendos esse veneratione, promissamque eis fidem proculdubio servandam. Haec est perpetua Hispaniarum Ecclesiae doctrina, à qua nec minimum deflexit Angelicus Praeceptor.

ISAGOGÆ

ad Sacram Theologiam.

I Celsissimae scientiarum reginae, ad cuius munitissimam arcem ceterae omnes tamquam ancillae vocantur, ut supplici ipsi deserviant famulatu, Theologiae, inquam, penetrabilia ingressuri; ab eius notione exordiamur, oportet. Itaque voce hac significari de Divinitate sermonem, mirabili asseverant concentu quotquot Graeci vocabuli vim, energiamque perpenderit.

2. Vana Gentilium commenta, implexaque, quibus miserè cruciantur, paradoxa procul relegantes, Theologiam hocce pacto definimus, *Rerum Divinarum, vel ex naturaliter cognitis, vel ex revelatis principiis comparatam doctrinam*. De ea, quae ex revelatis, non verò, quae ex naturalibus deducitur principiis, nobis est sermo.

3. In Positivam, Scholasticam, Mysticam, Polemicam, Dogmaticam, cetera partitam conspici licet, quas equidem notiones expromemus quaesiti.

4. Malè feriatos homines, errorumque praestigiis fascinosos in Scholasticam Theologiam vehementer irasci videmus; ast inconditae eorum voces nihil nobis, nisi risum, nauseamque possunt creare, utpote qui eam apprime utilem, atque ad dissipanda funditus eorum somnia perquam idoneam esse, optimè callemus.

5. Qui naturalem Philosophiam Theologis supervacaneam esse demonstrare conantur, frustra adlaborant, inaniterque contendunt.

6. Quamquam diversae à reliquis facultatibus rationis Theologiam agnoscamus, hanc tamen veram, propriamque scientiae naturam induere, refragari non audemus.

7. Manca, et imminuta linqueretur Disciplina haec, si aut contemplandi, aut agendi solummodo gratia inventa diceretur: ergo non speculatrix est tantum, sed etiam effectrix.

8. Lumine, quod captum nostrum, ingeniumque superat, supernaturali Theologiae principia cognoscuntur; verum à naturalis habitus ratione non haec est ideo semovenda.

9. Formale quod, ut aiunt, sacrae huius scientiae obiectum Deus est; formale quo Divina revelatio virtualis quidem, et mediata; materiale tandem quidquid sub ea cadit.

Locorum Theologorum numerus, indoles, et natura.

1. Perfectus nullus, nullusque omni laude cumulatus esse poterit Theologus, qui Locorum Theologorum scientiam consequutus non sit: prompto ergo, expeditoque eorum usu ferax sacrae Disciplinae ager nobis evadit feracior.

2. Horum nomine uberrimam intelligimus argumentorum scaturiginem, unde plena manu arma deaurire valemus, quibus et catholicam explicare veritatem,

tem , fideliumque mores dirigere , et putidissima Haereticorum ora obstruere possimus.

3. Quamquam plures , paucioresve Theologicos recensere Locos , quibusdam sit in deliciis ; nos tamen immoto gradu eos denario claudimus numero : en specimen : Sacra Scriptura , Iesu-Christi , Apostolorumque Traditiones , Sacrosancta Concilia , Catholicae Ecclesiae consensus , primae sedis , Romani , inquam , Pontificis iudicium , Sanctorum Patrum auctoritas , Theologorum Scholasticorum , Philosophorum , rationis naturalis , humanae tandem Historiae. Eandemne omnibus vim , idemque inesse pondus arbitratur quisquam ? fallitur profectò.

Scriptura Sacra.

1. Ad primum , limpidumque fontem , Sacram videlicet accedimus Scripturam , quo equidem nomine Dei verbum ab ipso exaratum intelligi , dubitat nullus.

2. Ex veteri , et novo Testamento , in quibus Legales , Historici , Prophetici , et Sapientiales reperiuntur libri , ea coalescit.

3. Procaces , nihilique homunciones turpem suppositionis notam voluminibus hisce affingentes sine indignatione audire nequimus.

4. Levissimi momenti errata Sacris assuta codicibus minimè inficiamur ; verùm in substantialibus vitiantem nunquam eos sensisse manum , asserendum nobis est , ni Divinam providentiam sontem esse velimus.

5. Incredibili versutia debitam sacris codicibus Divinam auctoritatem imminuere , imo praeripere tentant haeretici , qui sanè , nisi ad Graecas Kalendas , obtinebunt nunquam.

6. Vehementer igitur caecutirent , qui principem Scripturarum auctorem Deum esse , homines verò instrumenta , inficiarentur.

7. Nihil profectò in Sanctis Scripturis inveniri valet , quod supremam , terribilemque Dei maiestatem dedeceat : omnia ergo , vel etiam minutissimae voculae , ab ipso fuere dictata.

8. Qui ex sacris libris constituitur catalogus , haud iniuria canon appellari consuevit , isque triplex , Iudaeorum scilicèt , Catholicorum , et Haereticorum.

9. Antiquitatis monumentum nullum suffragatur eis , qui plures quàm duos supra viginti apud Iudaeorum gentem canonicos extitisse libros , sibi persuaserunt.

10. Plurimos tamen , ast nec sacros , nec canonicos , peperit olim Iudaeorum ingenium , quos nullibi reperies , etiamsi diligenter quaesieris.

11. Iudaeorum canonis auctor , architectusque fuit Esdras , qui sacros libros in unum redegit corpus , à mendis abstersit , appositèque collocavit.

12. Hosce veteris , novique Testamenti canonicos libros quovis saeculo omnes Catholicorum Ecclesiae sinu suo receperunt , arctissimoque sibi copularunt amplexu ; Moysis Pentateuchum , librum Iosue , Iudicum , Ruth , Regum quatuor ,

Pa-

Paralipomenon duos , Esdrae , et Nehemiae duos , Iob , Psalterium CL. psal-
morum Davidicum , Proverbia , Ecclesiasten , Canticum Canticorum , Prophe-
tas maiores quatuor , minores duodecim : Matthaei , Marci , Lucae , Ioannis
Evangelia , Apostolorum Acta , omnes Paulli epistolas , si eam , quae ad He-
braeos est , dumtaxat excipias , duas tandem canonicas , Petri videlicet unam,
alteramque Ioannis.

13. Esther , Baruch , Danielis pars , Tobias , Iudith , Sapientia , Ecclesia-
sticus , Machabaeorum primus , et secundus , Marci , Lucae , Ioannis partes
nonnullae , ad Hebraeos epistola , eaque , quae Iacobi est , Petri posterior , pri-
mae Ioannis particula , imo et ipsius secunda , et tertia , epistola Iudae , et Apo-
calypsis non eandem semper obtinere sortem , quandoque enim sacri hie libri
in plurium Ecclesiarum canonem cooptati non sunt.

14. Nemini post Tridentinae Synodi diffinitionem in dubium revocare fas est,
libros eos omnes canonicos esse , quos Divino afflante spiritu ipsa tandem de-
claravit. ; vin eos audire ? attentas praebere aures , tibi que parabitur responsum.

15. Nec primis , qui haeresibus Ecclesiam lacerare tentarunt , nec nostri
temporis blateronibus unus , idemque sacrorum librorum fuit canon. ; ita est
ipsis insolitum in eadem diu perstare sententia !

16. Praeter unum Danielis librum Chaldaeorum lingua exaratum , reliqui
omnes , quos suo inseruit canoni Iudaeorum Synagoga , Hebraica fuere lingua
conscripti.

17. Ex libris , quos Iudaico canoni adiecit Catholicorum Ecclesia , quidam
Hebraico , quidam Chaldaico , nonnulli Graeco donati fuere sermone.

18. Quotquot in novo continentur Testamento libri , hi certè , si Matthaeum,
et Epistolam ad Hebraeos excipias , à Graecia accepere dictionem.

19. Et in Hebraico veteris , et in Graeco novi Testamenti hodierno textu mi-
nutula quaedam , exiguaeque menda non desunt ; verum substantialem in eis
depravationem invenies nunquam , etiamsi omnes subtilis ingenii exeras conatus.

20. Varias opinantium circa Graecarum versionum numerum respuimus sen-
tentias , unique Cl. Bellarmino decem statuenti indivulsè adhaeremus.

21. Ceteras equidem antecellit , nomenque sibi comparavit maximum ea,
in quam , sedente ad regni clavum Ptolomaeo Philadelpho , studium , operam-
que suam duo supra septuaginta seniores Legis , linguarumque tum Hebraicae,
tum Graecae callentissimi contulerunt.

22. ; Ast quo Ptolomaei anno versionem hanc aspexisse lucem dicemus ? res
sanè est cimmeriis tenebris obscurior : verum duorum supra septuaginta dierum
spatio numeris omnibus fuisse absolutam , veritati consonum apparet.

23. Alexandriae in AEgypto , aut in proxima urbi illi insula Pharo versio-
nem illam septuaginta Interpretes , non singuli , quin potius , nec bini singulis
cellulis inclusi , sed mutua miscentes colloquia , feliciter absolverunt.

24. Non Legem tantummodo , sed universos Iudaeorum canonis libros in
Graecam vertisse linguam Interpretes , incunctanter asserimus.

25. Definiendis Religionis Catholicae dogmatis , fidelique populo dirigendo et

primis , et nostris temporibus celeberrima haec versio non idonea dumtaxat est visa , sed etiam Divinae auctoritatis.

26. Dictu est sane incredibile, quot ante Hieronymum Latinae veteris Testamenti ex Graeca Sept. et novi ex Graeco fonte prodierint versiones , si maximo huic Doctori , et Augustino Parenti fidem adhibemus ; sed quidni dabimus ?

27. Caput inter ceteras extulit ea , quae *Itala* dicebatur , cuiusque vocem avidis excepere auribus Occidentis Ecclesiae.

28. Summus ille vir Hieronymus , qui pro matre Ecclesia indefatigabili zelo laboravit , vetus Testamentum , quibusdam tamen libris exceptis , ex Hebraico textu in linguam transtulit Latinam.

29. Nonnullos tamen Iudaici canonis libros , non omnes , quemadmodum placuit Bellarmino , ex Graeca Sept. versione in eandem convertisse linguam , non semel ipse testatur.

30. Novi foederis libros ad Graeci textus normam castigavit Hieronymus ; quos verò nusquam in Latinam ex eo transtulit dictionem.

31. Ut vulgatam Latinam versionem demonstrarent corruptam , nihil non tentarunt haeretici : adversus eorum tergiversationes , machinarumque fragorem valido nos ipsos praesidio , auctoritate nempe Tridentinae Synodi , quae illam declaravit authenticam , invictè munivimus.

32. Vulgatam Latinam Versionem Hebraicis , Graecisque fontibus à Tridentina Synodo fuisse praelatam , putidum est Heterodoxorum commentum , vilisque calumnia.

33. Neque illis adhaerendum arbitror , qui , quòd Vulgata à Tridentino Concilio fuerit authentica declarata , Hebraeum , Graecumque textum authenticos non esse opinantur.

34. Ergo eo sensu , ut nec levioris momenti vitia , nec vel tenuia errata in illa valeant reperiri ? et haec nobis haud arridet opinio.

35. Eo demum sensu Vulgata à Tridentinis Patribus authentica fuit declarata , quòd in iis , quae alicuius sunt momenti , à primario , veroque Divinae Scripturae sensu minimè distet ; atque in his , quae ad fidem , moresque attinent , sit haudquaquam corrupta.

36. Rudis planè , hebesque sit , oportet , qui id à Concilio Tridentino immeritò fuisse declaratum contendat.

37. Vernaculas Bibliorum , si quidem sint Catholicae , versiones legere , utpote cum in se id malum non sit , neutiquam ab Ecclesia vetitum est universis.

38. De animarum tamen salute pia haec Mater sollicita , habita circumstantiarum ratione , Vernacularum vel Catholicarum versionum nonnullis valet lectionem interdicere.

39. Plures interdum sub una littera in Scriptura Sacra contineri sensus , Catholica edocente fide , constanter asserimus.

40. In litteralem , mysticum , et accommodativum Scripturarum sensus adaequatè dividitur.

Plu-

* VII *

41. Plures quandoque sub uno Scripturae loco litterales inveniri sensus qui negaverit , in Scriptura Sacra hospes revera deprehendetur.
42. Triplex est mysticus Scripturarum sensus , videlicet , Allegoricus , Tropologicus , et Anagogicus , quorum notiones dabo roganti.
43. Accommodatitium sensum , quem Sancti Ecclesiae Patres non semel usurparunt , in Scripturis admitti oportere , libenter concedimus.
44. Ut hicce Scripturis accommodatitius sensus adscribatur , nonnullae requiruntur conditiones , quae recensendis accedimus parati.
45. Ex accommodatitio sensu ineluctabile duci non potest argumentum , ut decernatur fides , morumque dogmata statuuntur.
46. Caligat in meridie , qui Scripturam in quibusdam capitibus claram , perspicuamque negaverit.
47. Haeretici , quibus argumentum nullum est aliud , quàm arrogantia , vanitas , pervicacia , Divinam Scripturam in omnibus apertam ita esse contendunt , ut singuli eius libri absque duce , et praeceptore intelligi , evolvi que valeant ; at vetus est haec istorum nebulonum consuetudo , ut quem ipsi sensum velint , Scripturis affingant.
48. Ad privatum spiritum , interiorumque cuiusque fidelis persuasionem , ut Scripturas interpretentur , confugiunt heterodoxi ; sed hunc alium non esse , quàm mendacii , sacrilegaeque praesumptionis spiritum , quis non videat ?
49. Ergo ut Sacrorum Codicum decernatur germanitas , exortaeque lites dirimantur , supremorum Ecclesiae Rectorum requiritur tribunal , vivique Iudicis necessaria est auctoritas.

Christi Domini , et Apostolorum Traditiones.

1. Maxima equidem audacia , extremoque conatu Sacris Traditionibus bellum indixere novatores homines , et Lutheri , Calvinique gregales , quò facilius veritati , quae eorum petit iugulum , repugnarent , erroresque suos insolenti tuerentur pertinacia : insanas horum argutiolas , sículasque gerras nostrum est retundere.
2. Divina Traditio aliud nihil est , quàm ipsius Dei verbum , non litteris expressum , sed viva voce Discipulis declaratum , à quibus ore ad os fuit usque ad posterum derivatum.
3. Multifariam scinditur Traditio , in Divinam , Apostolicam , Ecclesiasticam cet. , de quibus audies nos loquentes.
4. Ab Adàm ad Moysen usque non ex scripta lege , sed ex Traditione dumtaxat fides , morumque regulae hauriebantur.
5. Nec eà solum , sed etiam et Moysis aetate , qua sacra iam tunc extabat Scriptura , Traditiones ad fidem , moresque spectantes obtinuisse , nobis omnino certum , penitusque exploratum.
6. Eò studia sua Apostoli primò contulerunt , ut Evangelicam Legem à Christo acceptam populis praedicarent ; iisque proinde temporibus Divina Traditio fuit omnino necessaria.

Di-

7. Divinae Traditiones hac etiam aetate sunt Ecclesiae dogmatum firmissimum, inconcussumque fulcrum, quarum praesidio plurima in Ecclesia sunt revera definienda.

8. Fluit inde, ex Divina Traditione invictissimum, maximique roboris argumentum posse desumi.

9. Ut humanae à Divinis discernantur Traditionibus, sequentibus regulis uti summopere oportet.

10. Prima: Illud Divina Traditio non est, cuius, licet in tota serveretur Ecclesia, vel in Summorum Pontificum Decretis, vel in Conciliorum canonibus, vel in Patrum statutis initium invenitur.

11. Secunda: Humana est, non Divina, inventa, non tradita doctrina, quae in una tantum particulari reperitur Ecclesia.

12. Tertia: Humanum est, non divinitus traditum dogma, quod ab uno tantum, aut duobus etiam antiquis Scriptoribus, imo et tota aliqua particulari Urbe, aut Provincia adversus communem aliorum sententiam edocetur.

13. Quarta: Dogma, quod universa tenet Ecclesia, licet in sacris codicibus non reperiatur, ex Divina emanat Traditione.

14. Quinta: Doctrina, quam quovis saeculo universa propugnavit Ecclesia, quamvis in sacris litteris non inveniatur, Divinae Traditionis est.

15. Sexta: Si quidquam in Ecclesia communi fidelium consensu probatum reperire est, quod ab homine non valet institui, à Christo derivari censemus.

16. Septima: Quae in tota, qua latè patet, Ecclesia quovis saeculo continua, nec interrupta serie conservata est praxis, quaeque à Conciliis suam ducere non videtur originem, meritò ab Apostolis censetur instituta, quamvis ea sit, ut ab Ecclesia institui potuerit.

Sacrosancta Concilia.

1. Concilii nomine nihil aliud intelligitur, quàm Ecclesiae Praesulum sub uno legitimo capite conventus, cuius potissimum munus est, et obortas fidei controversias definire, et leges condere dirigendis fidelium moribus apprimè idoneas.

2. Nemini notum non est, Concilia alia generalia, alia particularia; eaque in Nationalia, Provincialia, et Dioecesana optimè dissecari.

3. Ea, quae prioribus tribus saeculis habita fuere Concilia, ab Ecclesia, prout solos animarum Pastores complectitur, convocata sunt.

4. Solius Ecclesiae animarum Praesules complectentis proprium esse ius istud, quod in nullum alium valet transferri, vel Imperatores ipsi apertè testantur.

5. Dioecesanae Synodi à loci Ordinario, Provinciales à Metropolitanis, Nationales à Primatibus convocari debent.

6. Petro, eiusque successoribus, nullique alteri Episcopo, ordinaria convocandi OEcumenica Concilia iure Divino convenit auctoritas: hanc qui vellet assumere, potestatis suae confinia transiliret.

7. Non ideo tamen negandum , alteri , quàm summo Pontifici ius illud quandoque convenire.
8. Audacter nimis , et inconsultè garrunt haeretici , dum laicos fideles in Conciliis , ubi de Fidei sanctione agitur , decisivi suffragii iure potiri contendunt ; verùm eorum portenta quis non irrideat !
9. Episcopi , quorum interest fidelem pascere , et docere populum , definitivo in Conciliis suffragio Divino iure fruuntur.
10. Abbates , ac Generales Ordinum Praepositi , licèt Episcopi dignitate non gaudeant , decisivo suffragio in hisce Conventibus Ecclesiastico iure donantur.
11. Legitimae Synodo quoad directionem , et suffragium nulli umquam prae fuerunt Imperatores.
12. Imperatores , utpote Catholicae Ecclesiae protectores , quoad materialem locum , et pro concilianda pace , tuenda libertate , procuranda decretorum executione non semel Conciliis praefuisse , nihil est cur negemus.
13. OEcumenicis omnibus Conciliis , uno , alterove dempto , vel per se , vel per legatos Romanos Pontifices praefuisse , ultro , citroque profitemur.
14. Ergo sacrum Episcoporum omnium coetum dirigere , regere , atque in condendis canonibus cum suffragii praerogativa moderari solius Romani Pontificis ius est ordinarium.
15. Nec Dioecesanae , nec Provinciales , imo nec Nationales Synodi Divinae sunt auctoritatis : ex eis igitur pro Fide , aut moribus infallibile desumi non potest argumentum.
16. Ex huiusmodi tamen Synodorum iudiciis non levis coniectura , sed momentum sanè grave accipietur , dummodo maior aliarum Ecclesiarum pars iis repugnare non inveniatur.
17. Pro aris , et focus egere Lutherus , et Calvinus , ut ab OEcumenicis Conciliis excluderent indeficientiam ; verùm quidquid clament , blaterentque , constanter omni abiecta cunctatione statuimus , ea , quibus requisitae à Catholicis nullae desunt conditiones , in definiendis Fidei dogmatibus , dirigendisque moribus esse prorsus infallibilia.
18. Turpiter hallucinantur , ac veluti noctuae caecutiunt , qui Conciliorum utilitatem in dubium audent vocare.
19. Ex eis quaedam esse valde necessaria negari non potest , quin Ecclesia summae imprudentiae (proh scelus !) arguatur.
20. OEcumenici Concilii opus est celebratione , quando plures , insignesque Ecclesiae errore , aut schismate laborant ; hoc enim pacto fiet , ut Catholica veritas decernatur , et schismatis tollatur occasio.
21. Plurimae extant causae , quae generalis Concilii exigunt celebrationem : hasce ex Bellarmino proferam in medium.

Vera Christi Ecclesia.

1. Diabolus antiquo nequitiae suae negotio usus , nihil non egit , nihilque non

non fuit molitus , ut noctis , et tenebrarum filii Lutherus , et Calvinus pulcherrimam Christi sponsam , scilicet Ecclesiam everterent , ac labefactarent : sed quàm infeliciter his eventus successerit , nemo non videt.

2. Ecclesia itaque Graecum est vocabulum , cui latinè convocatio respondet , hocque pacto valet definiri : *Coetus Sanctorum sub uno capite Christo Deo servientium*. In triumphantem , patientem , et militantem distinguitur : de hac nobis est sermo.

3. Ex solis praedestinatis Ecclesiam conflare Lutherani , et Calvinistae : sed quid ? ; putasne aliquo eos fulciri monumento ? imo nec ulla auctoritatis apparet mica , nec ulla rationis scintilla.

4. Si Ecclesiam diligenter investigates , in ea Cathecumenos actu non reperi ri concedes.

5. Abeant in malam crucem Cathari , et Donatistae , quorum eò processit vesania , ut naevo aliquo , culpave commaculatos eiicerent ex Ecclesia ; non enim haec iustos solum , sed gravissimos sive occultos , sive publicos amplexatur peccatores , modò Fidem exterius minimè fuerint inficiati.

6. Ad Ecclesiae corpus illos pertinere non diffitemur , qui licèt Fidei dogmatis interius repugnent , sacro tamen Baptismate fuerint regenerati , et in externa cum fidelibus sub legitimis Pastoribus communione perseverent.

7. In quot errorum portenta , haeresumque monstra inciderint Calvinistae , ut Pastorum suorum missioni consulere , facile haud est numerare : publicos haereticos , manifestosque schismaticos in Ecclesiae sinu collocare non dubitant ; sed excusso Religionis iugo , tam horrenda docuisse , nullatenus mirum est.

8. Cum Ecclesiam audire , eiusque Praesulum legibus dirigi teneamur , operae pretium est , ut quaenam vera sit Christi sponsa , dignoscamus. Quatuor characteribus à perversis Satanae Synagogis discernitur , est enim *Una , Sancta , Catholica , et Apostolica*.

9. Una est , non multiplex vera Christi Ecclesia , eaque unitas in hisce tribus , eadem nempe Fide , iisdem omnino Sacramentis , eisdem Praesulibus debet collocari.

10. Huius unitatis centrum sedes est Romana.

11. Et vocationis , et professionis sanctitate ornatur Ecclesia. Congregationibus suis dotem hanc convenire Lutherani , et Calvinistae contendunt ; sed quid aliud est hoc , quàm somnium , chimaera , delirium ?

12. Interiori quoque sanctitate in pluribus membris fulget Ecclesia.

13. Qui nomen hoc *Catholica* verae Ecclesiae convenire negaverit , et Solem in meridie lucere inficiabitur. Quo tempore hoc donari caeperit , nostrum erit aperire.

14. Ex hac voce *Catholica* firmum pro vera Ecclesia ducitur argumentum ; vel Christianam Societatem , quae verè est Catholica , veram Iesu-Christi Ecclesiam esse , certò demonstratur.

15. Nequaquam Lutheri , Calvinique Sectae , sed Romana dumtaxat Ecclesia est et secundum doctrinam , et secundum auctoritatem Apostolica : in hac enim

enim tantum tradita à Christo Apostolis doctrina custoditur, et imperturbata Romanorum Pontificum series ad Petrum usque Apostolorum Principem recensetur.

16. Invisibilem esse Christi Ecclesiam, nec monstrari posse, suadere tentant haeretici; ast palam mentiri, ipsimet conspicerent, nisi obfirmata illorum caecitas impediret.

17. Non solum secundum invisibilem, interioremque, sed etiam secundum visibilem, externamque partem indefectibilis est vera Christi Ecclesia.

18. Unanimis particularium omnium Ecclesiarum in unum dogma consensus Fidei efficit articulum.

19. Ecclesiae in factis Dogmaticis iudicium esse infallibile nobis omnino certum.

20. Sacrosanctam Ecclesiam, dum aliquem Sanctorum Fastis adscribit, infallibilem agnoscimus.

Romani Pontificis iudicium.

1. Miserrima illa gens, haeretici, qui Vaticano fulmine non semel fuere protriti, in Romanum Pontificem turpiter debacchantur, diris, iniuriisque proscindunt, in eiusque perniciem, frustra tamen, conspirare tentant; eorum itaque insaniam, furoremque refutare oportet.

2. Quis umquam credet, delirae Lutheranorum genti, quae Romano Pontifici Petri successori supra omnem Ecclesiam Primatum denegat, ullam inesse frontem? nullus sanè rationis compos: addam et ego, procaces illos homines non modò perfidum pectus, verum et mentem occludere pertinacem.

3. Romani Pontificis de aliqua controversia iudicium Theologicus Locus est.

4. Romanum Pontificem in Petri Cathedra sedentem verum esse Pontificem, velut de Fide certum et ipsi tuemur.

5. In iis quaestionibus, quae circa Fidem suboriuntur, quisque Episcopus censendus est iudex.

6. Licet omnino invictum, ac irrefragabile non sit latum ab Episcopis de Fide, aut moribus extra generalia Concilia iudicium; eius tamen, nisi evidens sit error, ratio debet haberi.

Sanctorum Patrum auctoritas.

1. Inaudita illa à saeculo monstra, haeretici, inquam, nullum non moverunt lapidem, nullamque non obiecerunt argutiam, ut excussa Sanctorum Patrum Fidei depositum custodientium auctoritate, clariorem Sole veritatem interpretamentis suis obscurarent; sed praeter plumbeos pugiones, conviciorum acervos, vanamque iactantiam in his ardelionibus invenies nihil. Eorum ergo temeritati depellendae en nos paratos.

2. Unius, alteriusve Patris de Theologicis rebus iudicium, ceteris de eadem

re

re conticentibus , nequaquam valet firmum Theologo argumentum suppeditare.

3. Nec plurium Sanctorum Patrum auctoritas , aliis ex altera parte reclamantibus , certa , et invicta argumenta poterit sufficere.

4. Unanimis SS. Patrum in unum dogma consensus firmissimum argumentum ad Fidei adsertiones roborandas praestat Theologo.

5. In earum Scientiarum controversiis , quae naturali lumine continentur, Sanctorum Patrum auctoritas tantum pollet , quantum consentanea naturae ratio persuaserit.

6. Ut suavissimum ex Sanctorum Patrum scriptis fructum capere , eosque, qua par est , veneratione , laudare possimus , nonnullae sunt observandae cautiones , quas , dummodo non sit vobis iniucundum , animo referam libenti.

Scholasticorum Doctorum, ac Pontificii iuris auctoritas.

1. Insana Lutheranorum caterva, imbellesque Satanae phalanges ita in Scholasticam Theologiam invehuntur , ut eam inanem fallaciam , veritatis ignorantiam , Theologiae scabiem , merasque quisquilias appellare non pudeat ; sed artis abusus , hominumque vitia in artem ipsam regerunt.

2. In iis ergo , quae ad Fidem , moresque pertinent , nulla Scholasticorum, qui nec Scriptura , nec Traditione , sed humana tantum ratione , et recentiorum auctoritate sua placita confirmant , habenda est ratio.

3. Plurium Scholasticorum , ex iis etiam , qui placita sua ad Scripturae , et Patrum normam exigere profitentur , in aliquod dogma consensus , si alii insignes , licet numero pauci dissentiant , non maioris est momenti , quam eae, quibus fulciuntur , rationes.

4. Ex communi omnium Doctorum Scholasticorum sententia in re quidem gravi usque adeo sumuntur magni roboris argumenta , ut qui illis repugnarit, temeritatis notam non eluderet.

5. Nec latum à Theologicis Academiis , quae sapientiae , et eruditionis fama florere , iudicium flocci faciendum est.

6. In iis , quae ad Fidem pertinent , Iurisconsultorum auctoritate nullatenus indiget Theologus ; quin potius eorum titulorum , qui de Fide decernunt , expositionem Legisperitus à Theologo mutuari debet.

7. In his etiam , quae ad mores pertinent , quatenus vel Evangelica lex, vel naturalis ratio praescribit , Iurisconsultorum auctoritas parum , aut certe nihil Teologo potest conferre ; quin potius rectam , et sanam earum rerum cognitionem Iurisperiti à Theologis mutuam sunt accepturi.

8. Quum autem de moribus Ecclesiae , et Religionis institutis per leges tantum Pontificias , aut de poenis iure praefinitis incidat quaestio , Iurisperitorum omnium communis consensus , concursque sententia magnam debet fidem facere Theologo.

Humana Historia.

1. Docti omnes viri in hoc consentiunt , rudes esse Theologos illos , in quorum operibus conticescit Historia ; plurima enim è sinu suo ea profert , quibus si careamus , et in Theologia , et in quacumque ferme alia Facultate inopes saepenumero , et indocti reperiemur.
2. Ergo et Historiae non solum Ecclesiasticae , sed etiam prophanae notitia magnum adferet Theologis adiumentum.
3. Ut verae à fictis Historiis discernantur , nonnullas regulas apprime idoneas referemus.
4. Nullus praeter sacros Auctores idoneus est Historicus ad faciendam in Theologia fidem omnino certam , prorsusque irrefragabilem.
5. Sublestae fidei censendi sunt A catholici Auctores in iis , quae adversus Catholicam Ecclesiam , Romanam Sedem , Summos Pontifices , aliaque similia in scriptis suis solent effutire.
6. Nec fidem merentur variae in speciem piae narrationes , quas nonnullis Auctoribus , etsi revera Catholicis , dictavit aut antiqua plurium simplicitas , vel zelus , sed non secundum scientiam.
7. Graves , ac fide digni Historici , quos et in Ecclesiasticis , et in Historicis nonnumquam reperire est , argumentum Theologo offerunt probabile.
8. Si probati omnes , gravesque Historici in eandem rem gestam concurrant , ita certum Theologo suppeditant argumentum , ut negari istud factum sine pervicacia non possit.

Philosophorum auctoritas.

1. Philosophorum auctoritas eorum , qui falsa senserunt , nostram non potest adjuvare doctrinam , et ea , quae latent , patefacere : hi ergo dumtaxat Theologis utilitatem valent adferre , qui naturae vim , et effecta , morum , ac vitae normam via , et ratione perscrutati , magna ex parte sunt consequuti.
2. Philosophorum omnium una , eademque consensio certam facit fidem Philosophici dogmatis.
3. Cum verò de unius , aut alterius Philosophi Secta disseritur , quò quisque doctior fuerit , et gravior , eò illius et probabilior erit auctoritas , et fide dignius testimonium : nulli tamen eorum ita sese debet adiudicare Theologus , ut nec minimùm ab eo discedat.
4. Humani iuris Facultas in multis Theologo potest esse commoda : est enim Theologiae ancilla , quae ipsi potest deservire.

Naturalis Ratio.

1. Toto ostio à veritate discedunt , qui rationis naturalis argumenta , quasi

D

Theo-

Theologiae forent adversa , omnino refugiunt : ergo qui illam utiliter à Theologis consuli negaverit , necesse est , mentem habeat chimaeris pastam.

2. Communia naturalis rationis principia certum Theologo sufficiunt argumentum : quae autem alià , quàm per demonstrationem , eliciuntur via , tantummodo probabile.

Propositionum Censurae.

Praeter Locorum Theologorum notitiam , Theologo summopere proderit , si notas , quibus affici debeant propositiones , quas Fidei , morumque regalis oppositas esse iudicaverit , habuerit perspectas : ergo de propositionibus haeretica , erronea , scandalosa , blasphema , piarum aurium offensiva , temeraria , seditiosa , suspecta , haeresi proxima , haeresim sapiente , improbabili , malè sonante , et damnabili longam orationem contexemus.

Dei existentia , natura , et attributa.

ECCLESIAE DOGMATA.

1. Cum Theologicae facultatis meta Deus sit , corrueret sanè quidquid firmaret Theologus , nisi vindicatae existentiae Dei , basis ad instar , inniteretur. Igitur Divini Numinis existentiam Athei solum , monstra potius , quàm homines impiè inficiati sunt : quae in Creatorem iniuria , ac blasphemia non aliunde nasci putanda , quàm ab ingenio debili , deliro , brutescente , furoris impetu acto , atque res omnes , earumque notiones sus , deque permiscente. I nunc , eosque Spiritus dic fortes.

2. Politheï , qui , quas olim de Dei populo victorias reportasse praesumunt , in cassum sperant ; puros , putosque homines , puras , putasque creaturas sibi in Deos , Deasque coacervant , inque varias distribuunt classes ; quae idololatrica superstitio totum pene post diluvium pervadens orbem , avaris defensa ab aulicis , à Regibus protecta , poeticis celebrata carminibus , atque à gentibus caeco furore percitis disseminata , veram , castamque Religionem è medio tollere conabatur. Sed nullus est Deus , nisi unus.

3. Primogenitus Diaboli Marcion , saeculo vertente II , hunc perniciosissimum disseminavit errorem ; scilicet duo esse principia summa , unum bonum , malum alterum. Huic adhaesit saeculo III. Cubricus Persa , qui tandem audiit à suis Manichaeus : Sed utrumque cum gregalibus facimus teruntii.

4. Stolidum , tardumque brutum , imo fungum potius te audire , quàm hominem loquentem crederes , si vocibus illius , qui Deum praedicat compositum , tantisper aures accommodaveris ; est enim simplex omnino.

5. Davidem de Dinando Deum esse materiam primam temerè effutientem ecquis nisi demens , insanire non arbitretur ?

6. Nec minori laborat absurdo Benedicti (dixeris potius Maledicti) Spinoesae deliramentum de unica mundi substantia , quod caput est sui systematis ,
in-

ineptiis potius , quàm rationibus consarcinati , ex quo tamquam ex lutulentà harà tot pudenda Atheorum monstra prodire.

7. Qui Audianis , seu Antropomorphitis adhaerens , corporeum esse Deum suadere molitur , crasissimo volutatur errore , Scripturae Sacrae , intimaeque rationi palam reluctante.

8. Inter divinas perfectiones eminent ineffabilitas , quatenus nullo simplici vocabulo designari potest recondita Dei natura : Et en versipellem Eunomium hac thesi oppugnatum.

9. Aliud ex divinis attributis est immutabilitas , quippe apud Deum nec est transmutatio , nec vicissitudinis obumbratio.

10. ; Ecquis sanè ita delirus evadat , ut Deum sciens , ipsum aliqua praedicet perfectione carentem ?

11. Igitur infinita gaudet bonitate , quam soli ipsi essentiae , creaturarum nulli convenire Catholica docet Religio.

12. Immensum esse Creatorem , ille solum temerario ausu ibit inficias , qui nec Sacras paginas salutaverit , nec summis , ut aiunt , labris SS. Patrum opera degustarit.

13. Abeant ergo in malam crucem Worstius Calvinista , Crellius , Sociniani , dum adstruunt Deum quoad essentiam summum Coelum inhabitare , unde eius vis , et potentia in creaturas dimanat. Taceant insani ; Deus enim in coelo sursum , et in terra deorsum.

14. Improba caecitate , mentisque , et corporis stupore arripiuntur , qui aeternum Deum cancellis concludunt ; infinitus quippe est.

15. Qui Caesari , quae sunt Caesaris reddere cupiat , Deum principio , fineque carentem adserat ; siquidem Dominus in aeternum permanet.

16. Vel si Scriptura taceret , omnia , quae in perfectissima hac rerum omnium compagine continentur , Deum omnipotentem clarissima , nullique non exaudita voce praedicare videret quilibet , lippis etiamsi oculis laboraret.

17. Est quoque Deus immortalis , bonorum auctor , principium , causa , finis , rex , summus Dominus , à se beatus..... ; Sed quid stultus singulas eius perfectiones numerare pergo ? Noscit singulas ille solus.

18. Innumera Divini Numinis attributa unum quid sunt reapse indistinctum omnino , et à se invicem , et ab essentia. Clament quantum velint Gilbertus Porretanus , et Ioachim Abbas Florensis. Rationes , quibus uterque fulcitur , elumbes prorsus sunt , fluxae penitus , planèque vitreae.

SCHOLAE POSITIONES.

1. Enuntiatio haec : *Deus existit* , per se nobis non innotescit , quamquam in se nota sit : hinc innata Dei notio penitus eliminanda.

2. Per causam , sive , ut aiunt , à priori Supremi Numinis existentiam haud quaquam mihi commonstrabis , nervos licèt exeras omnes ; ex effectis tamen principem eorum causam poteris rimari facillimè.

In-

3. Invictissimum est , magnique roboris argumentum illud , quo ex motibus, quos in creaturis conspici licet , primum motorem omnino stabilem concludit Doctor Angelicus.
4. Alterum illud , quo prima omnium causa evincitur improducta , tanti ponderis est , ut eo imbelles Atheorum vires enerventur , prorsusque dissipentur.
5. Stultissimis hebetiores se produnt homunculi illi , qui ex rerum contingenzia primum ens necessarium omnino nesciunt speculari.
6. Coeli , Astra , verbo , cetera omnia , quae in hoc aspectabili mundo elucescunt , ens summè nobile , perfectionum omnium fontem , supremumque artificem praedicant , et clarissima voce promulgant.
7. ; Quàm pulchra mirabilis huius orbis machina ! ; quàm scitissimè ordinata ! coeci profectò sunt , ducesque coecorum , quorum oculos vividissima haec lux non percellit , suadetque sapientissimum omnium conditorem.
8. ; At quid de Cartesio pronuntiandum , qui suis demonstrationibus incompositas Atheorum copias prosternere conatur ? temporis , et rei iacturam miserè fecit.
9. Rationis compotem invenies nullum , qui conditoris sui extantiam ignorare sine piaculo possit , universum licèt orbem percurras.
10. Perfectionum omnium cumulum , queis ornari concipimus Deum , illius naturam physicè spectatam constituere , rem arbitror extra dubitationis aleam reponendam.
11. ; Ast quodnam methaphysicum illius constitutum ? res haec est , quae vel inter ipsos eruditos maximè controvertitur. Illis nequaquam annuimus , qui per esse à se optimè expressum arbitrantur.
12. Eis igitur pronis auribus auscultamus , qui absolutissimum , perfectissimumque intelligendi actum esse divinum appellare non verentur.
13. Distinctionem actualem formalem ex natura rei inter Divina attributa, et essentiam adinvenit Scotus. Nos illam explodimus , et à nostra Theologia relegamus.
14. Distinctione rationis ratiocinatae , quae penes implicitum , et explicitum nominatur , Divina attributa à se invicem , et ab essentia , ab eaque relationes secerne , tuamque nostris calculis probabimus sententiam.
15. Nomenclaturas nonnullas suppeditat Sacra pagina , queis omnium dominus adumbratur ; de quibus , dum vobis arriserit.

Deus qualiter videndus.

ECCLESIAE DOGMATA.

1. In tantam , tamque luctuosam errorum voraginem demersa est impia Anomaeorum , ac Beguardorum doctrina , ut mentem creatam indita sibi vi , seu naturali virtute Deum intueri posse blatteraret. Ab ea potius , quàm ab angue fugito.
2. E contrario Armeni , et Palamitae intellectum creatum , etiam superno
lu-

lumine suffultum , clara Dei visione posse donari impudenter negarunt ; Vah stupiditatem !

3. ; Igitur mens humana , ut ad Divinae obtutum naturae valeat pervenire, donetur necesse est lumine gloriae ? Ita profectò , si nobis adhaerens , Beguardorum fugis insaniam.

4. Multae sunt in coelo mansiones , singulae singulis meritis respondentes. ; Ergo inaequalibus meritis inaequalis reservatur gloria ? Fas non est dubitare, excucullate Ioviniane.

5. Creata illorum hominum mens , quibus datum est visione Dei frui sempiterna , hunc minimè comprehendit.

SCHOLAE POSITIONES.

1. Deum corporalibus oculis esse invisibilem , concors est , et unanimis , cui subscribimus , Theologorum sententia.

2. ; Quid si superno lumine roborentur illi , spiritualisve adhaereat visio? neque omnino ita.

3. Imparem censemus humanam mentem possibilitati visionis Divinae suis viribus commonstrandae.

4. Homo purus mortalem hanc degens vitam , stante lege Dei communi , ad claram , et intuitivam Divinae essentiae notitiam haud poterit elevari.

5. Communi rerum ordine praetermisso , sensibus carnis homo non utens, Divinoque opitulante iuvamine , Dei naturam poterit intueri.

6. Singulari hac excellentia insignitos Mosen , et Paullum probabilior est, quam tenemus , sententia.

7. Non omnibus equidem beatis supernum lumen affulget aequale , hincque visionis Divinae physica disparitas capescenda.

8. Beati iucundissima Dei contemplatione gaudentes , ad altissimam Divinae essentiae comprehensionem non valent assurgere.

9. Divina essentia , attributa , personae , verbo , omnia , quae in Deo latent formaliter , reserantur , ultroque patent oculatissimis felicium spirituum mentibus.

10. Ne quidem extraordinaria Dei potentia spectata , Divinam naturam sine attributis , et personis ; unum attributum sine altero ; unam denique personam sine alia perspicere poterunt beati.

11. Eorum , quae Deus facit , potestve facere , nonnulla latent beatorum perspicacissimum intelligendi acumen.

12. In praeteritis , praesentibus , futurisque creaturis , quae eorum statui, dignitatisque respondent , innotescunt beatis.

Dei Scientia.

ECCLESIAE DOGMATA.

1. Iniustitiam cogitavit illius lingua , qui Deo cognitionem intellectivam inconsultò pernegat ; is est enim divinae mentis character , ut eius cognitio , quae et scientia est , cernat universa.

2. Nihil intellectui absurdius , auribus absonum magis , immo et Sacrae paginae plus pugnans apparet eorum commento , qui Deum seipsum et cognoscere , et comprehendere , serena fronte inficiantur.

3. Malitiam diligunt super benignitatem , iniquitatem magis , quàm aequitatem loquuntur Epicurei , dum Deum sui cognitione contentum , cetera nec videre , ore blaterant imprunito. Igitur Dei cognitio nedum in ipsum , sed et in praeterita , praesentia , futura , et possible fertur.

4. Quisquiliae , argutationes , fallaciaeque eorum suadere conantium , Deo abstrusa esse futura contingentia , et conditionata , ad nihil valent , utpote salis infatuati , nisi ut mittantur foras , et conculcentur ab hominibus.

5. Divinae perspicentiam cognitionis non fugiunt occultissimae cordium cogitationes , omniumque facinora secretissima ; est enim scrutans corda , et renes Deus.

6. Priscillianus , Ioannes Hus , aliique huius furfuris bruti homines ex Divina praesentia ineluctabilem rerum omnium exitum adstruere conantur : sed quamquam dentibus suis fremant , et tabescant , desiderium tamen eorum peribit.

SCHOLAE POSITIONES.

1. Immaterialitatem Dei , ceu aptissimum summae illius scientiae suadendae argumentum , luculentissimè demonstrat immortalis Aquinas.

2. Neque ea , quae virtualis est , distinctione intellectus et intellectio discriminantur in Deo : unum igitur sunt , et omnino idem.

3. Refutandus , omnibusque despiciendus sese prodit Vasquesius , scientiam propriè sumptam in Deo fateri recusans.

4. Dei scientia in se simplex , et illimitata , ex connotatione tamen obiectorum diversos patitur surculos ; hinc practica nuncupatur , speculativa , libera , cet. de quibus ad cumulum disseremus rogati.

5. Ruit illorum opinatio , qui Deum et mediatè in se ut in causa , et immediatè in seipsis , aliorum à se notitiam auspicari arbitrantur.

6. Nec felicius rem confecisse autumandi illi , quibus sola arrissit immediata cognitio.

7. Igitur eos dumtaxat veritatem invenisse credimus , qui mediatè in se ipso ut in causa , omnia à Deo conspici , dextra tutantur.

8. Placet , quam tradit Doctor Ang. futuri notio , *Quod in sua causa determinatum erat , ut fieret.*

Hinc

9. Hinc sponte fluit , fingi posse futurum nullum , quod à primae causae decreto sit omnino independens.

10. Varia futurorum genera. ; Singulare internoscere cupis ? interroga , tibi- que extemplo parabimus integerrimum responsum.

11. Non ea modo , quae Theologis est obiectiva , verùm et physica praesentia perspicit Deus in aeternitate futura.

12. Futura absoluta libera Deo non patent in essentia sua , prout haec rationem sortitur ideae , vel speciei intelligibilis ante decretum.

13. Nec felicioribus ad divinandum ventis ducuntur illi , qui ex supercomprehensione , ut aiunt , causarum secundarum , aut ex causa secunda sibi relicta , vel ex decreto ut futuro praevisto , vel denique ex eorum veritate sive formali , sive obiectiva futurorum notitiam Deum haurire contendunt.

14. Maneat ergo Deum futura absoluta praenoscere in decreto ea determinante : apertius : in eius essentia decreto determinata.

15. Vel ea , quae contingentia , vel disparata dicuntur futura , evidentem , certissimamque Dei notitiam subterfugere non possunt.

16. Futura haec , sicut et praecedentia , in decreto suo contemplari Deum , ita nobis certum , ita perspicuum , ut nihil ultra.

17. Illorum nequaquam probamus opinionem , qui actiones naturales liberas excipere contendunt.

18. Decretum istud absolutum , prout Deum respicit , appellare placet , conditionatum verò , prout obiecta connotat : hocque pronunciatum tuetur Thomistica Schola.

19. Iactet igitur quantum velit Molina , gloriatur amplam se viam , tamdiu- que speratam novisse semitam , vel ipsis gratiae aenigmatibus extricandis per- aptam ; pulchrum Scientiae Mediae inventum , ceu altissimum Deorum munus efferat in coelum ; pascantur quicumque desiderant , illius toties celebrato triumpho : nobis tamen satius , doctissimos Theologiae Principes Augustinum , et Thomam sectari , illiusque Systema penitus impugnare.

Dei voluntas.

ECCLESIAE DOGMATA.

1. Tam clara sunt , et manifesta Sacrarum Scripturarum oracula , quibus Dei adstruitur voluntas , ut et rudiori pateant.

2. Vult igitur Deus , qui sapienter , ordinatèque agit , et semetipsum , et quidquid est etiam boni in hac rerum universitate.

3. In rebus abs se conditis quibuscumque bonum , quod ipse efficit , liberri- mè amat Deus. Facessant ergo Aristoteles , Wortius , et Wiclefus.

4. Fluit inde , D. O. M. perfectissima gaudere libertate.

5. Deus voluntate antecedente omnium hominum , nemine prorsus dempto , vult salutem. Latrent quantum velint Iansenius , Quesnellus , Trickius , eorum- que in mendacio socii ; non tamen poterunt mordere.

San-

6. Sanguinem suum piissimus noster Iesus liberalissimè effudit pro totius humani generis redemptione , et aeterna salute.

7. Ceterum non omnes mortis eius beneficium recipiunt , sed hi dumtaxat, quibus meritum passionis eius communicatur , ut rectè dicit Tridentinum.

8. Etsi pro omnium hominum aeterna salute vitam Christus fuderit , vera et sincerà voluntate mortem oppetierit , eamque Patri obtulerit ; non tamen pro omnibus aequè haec gessit , siquidem pro reprobis sufficienter , pro praedestinatiis verò efficaciter illibatam suam sanguinem fudisse invenimus.

9. In tantam coecitatem , et arrogantiam prolapsi sunt homunciones nonnulli, ut nostri liberatoris beneficium in mulieres non protrahant : ; somnia delirantium !

10. Magnum studium , multamque operam adhibent acatholici perduelles, ut Christi ad Patrem deprecationem ad aliquos tantum decurrant : ; sed quid? miscent omnia , nihilque non confundunt.

11. Adamantinus Origenes pro Doemonibus , et damnatis ab aeterna damnatione aliquando liberandis Christum cruci adfixum credit: sed eum flocci facimus.

12. Cunctis hominibus in communi generalia auxilia ad salutem sufficientia Deus praeparat vi voluntatis antecedentis eos salvandi : Obganniunt aliqui ; sed eorum arietibus lapidea fronte resistimus.

13. Nedum Scriptura , sed et ratio ipsa eorum obstruit os impudendum, qui Dei iustitiam prae fractè inficiantur.

14. Cor habent tamquam malleatoris incudem , qui tot Divinae ictibus misericordiae obdurati , ea Deum orbatum blasphemant.

15. Nihil est in tempore factum , aut constitutum , vel fiet unquam , etiamsi ad liberas hominum confugas actiones , quod Deus ab aeterno suo non obsignaverit decreto.

16. Mentita est eorum iniquitas illis , qui Deum malum culpae efficere posse credunt ; cum constet bonam arborem malos afferre fructus nequire.

SCHOLAE POSITIONES.

1. Limpidissima est , numerisque omnibus absoluta ratiocinatio illa , qua ex Dei summa mente perfectissima illius eruitur voluntas.

2. Propria , increataque bonitate divinam voluntatem primò moveri , ac iucundè rari , constanter adseveramus.

3. Non modo specificationis , verum et exercitii necessitate , delectabili conatu , dulcique voluptate in propriam bonitatem fertur Divina voluntas.

4. Immutabilis , simulque liberrimi Dei iura sarta , tectaque servanda ; enodum totius Theologiae intricatissimum , aenigma sacrum , cui plenè solvendo impar est vel linceus intellectus. Missis ergo plurium opinandi modis , nihil aptius in huius Mysterii caligine statui posse arbitramur , quàm si Divina libertas per actum sempiternum ac necessarium Divinae voluntatis , effectum contingentem , ac defectibilem connotantem exprimat.

Sub-

5. Subit Divina voluntas, simplicissima licet, divisiones nonnullas: hinc pervulgares illae appellationes, beneplaciti, signi, antecedentis, consequentis demum, quibus omnibus abunde enodandis adsumus.

6. Consequentem omnipotentis voluntatem plenissimum semper effectum sortiri; antecedentem verò persaepe cassari, libenter sustinemus.

7. Verissima est, planèque sincera Redemptoris circa hominum salutem voluntas; veritatem hanc solatii plenam fidenter pronunciamus.

8. Si praecipuum voluntatis antecedentis spectes effectum, eam conditionatam nuncupare haud verebimur.

9. Non in humanae libertatis arbitrio, sed in Dei efficacissima voluntate conditionem hanc locandam iudicamus.

10. Auxilia proximè, vel remotè sufficientia, quae cunctis in communi hominibus praeparavit ab aevo pientissimus Deus, singulis moralem degentibus vitam mirabili largitate impertitur.

11. Non eodem, sed diverso prorsus, longèque dispari ordine cunctas actiones nostras sive bonas, sive malas praedestinavit Deus.

12. ; A quonam divinorum decretorum infallibilis efficacia petenda? ; an ab omnipotentissima Dei voluntate, quae creaturarum animos quaquaversum flectit lenissimè? id tuemur, idque adserimus imperterriti.

13. Malum nullum invenire licet, quod directè ab aequissimo rerum conditore expetatur; ex accidenti verò, commodique alicuius habita ratione, in id, quod naturae, poenaeve dicitur, propendit.

14. Vel ipsam sceleris actionem praedeterminat Deus. Nihil in hac sententia horrore, nihilque odio dignum reperitur.

Praedestinans Providentia.

ECCLESIAE DOGMATA.

1. Deus tamquam accuratissimus Universi Paterfamilias totam, quam condidit, molem gubernat, summaque est ipsi creaturarum providentia.

2. Perfectissima haec providentia tam latissimè patet, ut in creaturas vel abiectas, et minimas sedulò diffundatur. En profligatos recentiores Deistas ad omnem Religionem delendam paratos.

3. Erronea est, quam finxit Origenes, animarum praesistentia: et meritum praedestinationis ante illarum ad corpora unionem comparatum, fatale somnium.

4. Aliqua electorum ad gloriam Praedestinatio admittenda: ; Mirum dictu, quot, quantaque invidi homines adversus Catholicos quosque huius vindices adsertionis stylo scripturierint amarulento!

5. Non defuere, qui quosdam sua bonos natura, quosdam verò malos è manu conditoris exiisse; indeque istorum in gehennam, illorumque in gloriam praedestinationem ortam adseverarent: sed eorum dogma, Manichaeismum utpote redolens, execrabile, horrendum, omniumque odio dignissimum.

6. ; Iurasne in Pelagii dormitationem contendentes praedestinationem penes praevisa merita , sola liberi arbitrii facultate comparanda ? Hallucinaris profecto.

7. Eò superbiae blasphemum Semi-Pelagianorum genus devenit , ut praescientiam fidei , aut bonae voluntatis exordium viribus naturae acquisitum , tamquam praedestinationis motivum obtruderent : ; Bone Deus , quantus error !

8. Aeterna aliquorum prae aliis ad vitam ordinatio et respectu Dei , et respectu nostri , firma , stabilis , et inconcussa.

9. Triumphum hic cantant Pelagiani , dum ex certitudine et immutabilitate praedestinationis libertatis arguunt laesionem ; at prorsus mentiuntur.

10. Si revelationem excludas , neminem de sua praedestinatione certum invenies.

11. A capite ad calcem naeniis , et fabellis infartus illorum est error , qui quosdam à gloria perpetuò exules , seu extare quorundam ad mortem destinationem , quam reprobationem dicimus , inficiantur.

12. Deus absque praescientia demeritorum non vult quemquam in aeternum perire ; cum nemo sub Deo iusto miser sine culpa esse queat : Facessat ad orcum Calvinus.

SCHOLAE POSITIONES.

1. Plenissima est haec ab Augustino tradita Praedestinationis diffinitio : *Praescientia , et praeparatio beneficiorum , quibus certissimè liberantur quicumque liberantur.*

2. Nulli hominum salutem adipisci conceditur , quin sit in felicissimum praedestinatorum numerum cooptatus.

3. Praedestinatorum ad gloriam electio praedestinationem illam antecedit , quae est ad gratiam ; haec illam subsequitur.

4. Ceu maximè firmam , sacrisque litteris apprime consentaneam eligendam illam ducimus sententiam , quae electorum prae aliis ad gloriam praedestinationem ex sola Dei misericordia , et voluntate eius gratuita ortum haurire contendit.

5. Hanc pro aris , et focus vindicavit ad mortem usque memorabilis , strenuusque fidei defensor Augustinus ; à quo ne hilum quidem discrepat fidelissimus eius discipulus , nobisque carissimum caput Ang. Praeceptor.

6. Efficax vocatio , non interrupta iustificatio , felicitatis demum adeptio praestantissimi sunt praedestinationis surculi.

7. Vel ea , quae sufficiens est tantum vocatio , iustitiaeque per culpam intercepta inter Divinae praedestinationis foetus connumerandae.

8. Eiusdem nobilissimas scaturigines censemus felicem gratiae usum , hincque orta iustorum merita.

9. Ipsam peccati permissionem , quis crederet ? in praedestinationis gratissimum fructum nonnumquam dirigit ille , qui mel de petra producit , oleumque de saxo durissimo.

Per-

10. Pergrandis salvandorum chorus ; at minutus , exiguusque nimis , si cum stultorum infinito numero conferatur.
11. Suppetunt nobis Divinae Scripturae characteres nonnullos , è quibus aeternae praedilectionis certitudinem aliquam , coniecturalem licet , capere possimus.
12. Reprobationis essentiam haud satis perspectam habuisse dicimus eos , qui non positivo actu , sed nuda praedestinationis negatione circumscribi putarunt.
13. Reprobatio positiva una , negativa alia : his notionibus enucleandis incedimus parati.
14. Illorum dictis aures nos accommodare ne putes , qui reprobationis negativae rationem ex praevisis demeritis reprobi , non ex Divina bonitate ducendam arbitrantur.
15. Cur hi prae aliis eligantur in gloriam , si quaeras , praeter Divinam voluntatem , invenies nihil.
16. Originalem noxam omnibus hominibus reprobandis sufficiens fuisse motivum agnoscimus ; pro his tamen , qui verè consepulti sunt Christo per Baptismum , de facto non acceptari , constantissimè propugnamus.
17. Sortitur et Reprobatio ramusculos nonnullos , in quibus , sicut et in conditionibus requisitis tradendis toti erimus.

Altissimum Sanctissimae Trinitatis Mysterium.

ECCLESIAE DOGMATA.

1. Nihil sublimius sacratissimo Trinitatis Mysterio , nullumque , quod amplioribus eloquiis commendetur ; sed mirum , quot impii homines commentis in illud arma convertant : Principio , Sabellius Divinitatis Oceanum in unius personae angustiis coarctare molitur , ? Quibusnam , quaeso ? ; Catholicisne Divinas Scripturas probè callentibus ? Immo , Turcis tantum , aut Sinis nonnisi Alcorani deliria , aut Confucii somnia lectitantibus.
2. Procaces despiciamus à Catholica fide alienigenas illos , qui spiritu vertiginis , et erroris abrepti quaternitatem in natura Divina dogmatizarunt.
3. Cerinthus , qui in Christum Dominum impiissimas eructavit blasphemias , eum purum hominem praedicavit , asserens non fuisse ante Mariam ; at conticescat insanus ; Dei namque filius in aliqua fuit substantia , priusquam à Virgine conciperetur.
4. Postmodum Filio Dei divinitatem negavit Arius ; at hucusque nihil attulit , afferetque usquam , quo à communi nos semoveat fide , iuxta quam tenendum , esse Deo Patri Filium , ab eo genitum , id est , non adoptione , et gratia , sed generatione , et natura.
5. Profitendum ergo , secundam Trinitatis personam Deo Patri esse consubstantialem.
6. Socinus , eiusque gregales nuperi haeretici nullum non movent lapidem , omniaque attentant , ut et hìc nos perturbent. Spiritus , inquit illi , nomen
ple-

plerumque Scriptura usurpat, ut dona, et charismata designet: non inficiamur; at inde concludere Spiritum Sanctum veram, subsistentemque haud esse personam, et quid est aliud, quàm ludere, impiè decipere, allucinari?

7. Macedonius Spiritum Sanctum divinitate voluit exutum: Vadat retro, aliosque sibi in blasphemia quaerat patronos.

8. et Graecorumne adhaerebimus errori, Spiritus Sancti à Patre, Filioque processionem recusantium? absit. Calumnia profectò foret omnium atrocissima.

9. Non ex uno Sacrae paginae loco didiscimus mitti Filium, mitti et Spiritum Sanctum. At Patrem neque à Filio, neque à Spiritu Sancto mitti, nihil nobis apertius.

10. A Divinis tamen Personis procul abesse dicimus missionem illam, quae ab imperio procedens, in misso arguit inferioritatem.

11. Non est tamen, cur negemus processiones, quas *ad intra* Theologi vocant, quibusque una ab altera procedit persona.

12. et Earumne numerum scire peroptas? Duas tantummodo invenies, quarum altera est per intellectum, Divinum generans Verbum, altera verò per voluntatem, Amorem spirans.

13. Filium, eumque solum esse genitum, Catholicorum omnium liquet consensu: ab eorum numero nefas est nos segregari.

14. Aërem profectò verberabit ille, qui perfectionem aliquam in una Trinitatis Persona quaerat, quae in ceteris aliis non inveniatur.

15. Ariolantur, finguntque pro libitu, qui in Trinitate relationes reales negant reperiri: contra quos gravissima ex sacris litteris momenta seligemus.

16. Pater est in Filio, Filius in Patre, in Spiritu Sancto uterque, in utroque Spiritus Sanctus. Verbo: Asseveranda Divinarum Personarum circuminsessio.

SCHOLAE POSITIONES.

1. Inscrutabile, tremendumque SS. Trinitatis Mysterium naturalis ingenii acie poterit nullus commonstrare, imo nec eius possibilitatem suadere evidenter.

2. Divina revelatione supposita, valet hoc Mysterium congruentiis nonnullis adumbrari, et contra haereticorum tela in bona luce collocari.

3. Antiqui foederis Patriarchis, Prophetis, singularique vitae sanctitate, praecellentibus altissimam Mysterii huius revelationem concessam volumus.

4. Gentis tamen Iudaicae vulgus illius non calluisse notitiam, SS. Patrum constanti doctrina edocemur.

5. Non natura Divina, sed intellectus, et voluntas relationibus affecti paternitatis, et spirationis activae, principium quo proximum Divinarum processionum constituunt.

6. Difficillimam, implexamque admodum ingredimur quaestionem inquiri: et Cur Verbi, non Spiritus processio appellanda sit generatio? Inter discrepantium sententias hanc unam acu rem attigisse putamus; quia Verbum per intellectum, Spiritus Sanctus per voluntatem procedit.

Theo-

7. Theologorum neminem latet , quatuor extare in Divinis relationes reales: hae paternitas , filiatio , spiratio activa , spiratio passiva.

8. Activam spirationem non re , sed virtute tantum à Paternitate , et Filiatione secerni , certissimè pronuntiamus.

9. Existencias relativas , quibus orrentur Divinae Personae , frustra adstruunt nonnulli : Igitur una , eaque absoluta essentiae existentia sustentantur? ta sanè.

10. Praeter absolutam perfectionem essentiae , quam implicite induunt , nullam aliam vi sui conceptus relativi superaddunt Divinae relationes.

11. Originibus Divinas Personas constitui sustinent non pauci ; à quibus recedimus.

12. Nec pluris ducimus illos , qui vel innascibilitati , vel absoluto alicui id muneris deferendum arbitrantur.

13. Eos ergo dumtaxat rectam putamus instituisse viam , qui Divinarum Personarum constitutum relationibus , non sub munere referentis , sed afficientis subiectum , optimè significari putarunt.

14. Si Divinam naturam , ut Personis praeintellectam spectes , absolutam in ea subsistentiam , qua principium *quod* operandi constituatur , certò comperies.

15. Praeter hanc absolutam hypostasim , tres relativas singulis respondentes personis admittimus , ad earum ad invicem distinctionem summopere necessarias.

16. Quinque notas agnoscit Angelicus Praeceptor , quarum ope , ceu totidem characteribus , Divinas personas internoscere valeamus : Huic sententiae puta nos penitus addictos.

17. Si hypotheticè loqui , Spiritusque processionem à Filio tantisper inficiari fas sit , actum penitus est de eorum ad invicem distinctione.

18. Probamus quammaximè , longèque laudamus hanc Patrum Graecorum locutionem : Spiritus Sanctus à Patre per Filium procedit.

19. Iure optimo illorum improbamus arbitrari modum , qui Patrem , et Filium non unum , sed duo Spiritus Sancti principia constituere sustinent.

20. Omnibus Personis attributa communia uni prae altera aequissimè tribuuntur : unde de variis appropriationum generibus nec pauca , nec iniucunda loquemur.

21. Invisibilem Divinarum personarum missionem temporalem esse , et gratiae sanctificantis dono peragi , existimamus.

22. Per illam Divinae Personae iustorum animae fiunt secundum substantiam praesentes , efformantque sacratissimum Divini Spiritus habitaculum.

23. Monitos pro coronide velim de Trinitate disserentes , ut vocabulorum vim , et energiam seriò perpendant ; locutiones illas esse usurpandas , quas veritatis Magistra suo consecraverit usu ; execrandas verò , quae frequentissimae sunt haereticis huic altissimo Mysterio iniuriis : verum de hoc audies me eloquentem.

Angelorum natura , et dotes.

ECCLESIAE DOGMATA.

1. Res inter à Deo productas eminent Spiritus mortalis concretionis expertes , quos Angelos nominamus. Hos existere , tam certum est , quàm quod certissimum ; quidquid fuerit visum Philosophis , qui corpora carnalibus oculis obvia agnoverunt , praeterea nihil ; et quidquid reclamant Saducaei Scripturas admit- tentes , attamen pessimè , et imperitè exponentes.

2. Ineptire quidem , ipsaque Mundi primordia ignorare videmus homines illos effrontes , qui Angelos ab aeterno fingunt productos. Igitur in tempore è Con- ditoris manu exiere ; hocque tam distinctè Scriptura Sacra docemur , ut fas non sit hac in parte animum tenere haesitantem.

3. Spiritum splendidissimum , qualis est Angelus , consequitur scientiae or- namentum : Unde nedum et se , et Deum cognoscit , sed et materialium singu- larium habet notitiam.

4. At verò quantacumque sit eorum intelligendi vis naturalis ; futura tamen contingentia illorum superant captum.

5. Eos fabellae fictores , somniorumque venditores meritò dicimus , qui , con- tra id , quod rei experimento est comprobatum , Angelos nec peccare , nec me- reri posse deblatterant.

6. Cum peccato poenae parentur , eas luunt Angeli pravi expulsionem à Re- gno coelorum , et infernali igni addictione , à quo perpetuò torquebuntur. En prostratum Origenem.

7. Nullius pretii non defuere homunciones , qui bonos Angelos ad haec in- feriora ministranda mitti quandoque , negarint. Sed in refellendo eorum figmen- to tempus terere nec licet , nec iuvat.

8. Angeli ad salutem excubant hominum , quos evigilantissimè custodiunt. ; Proh Deum immortalem , quantum haec à Calvino , eiusque gregalibus absunt!

SCHOLAE POSITIONES.

1. Ad usque sidera Latinorum Patrum de Angelica in ipso Mundi exordio creatione finita sententiam extollimus. Adversa Graecorum nulla erroris labe notanda.

2. Angelos in supremo coelorum Empyreo primam aspexisse lucem , multo- rum est , ac nobis perquamgrata positio.

3. ; Quam stupenda , mirabilisque beatorum spirituum multitudo ! eorum , determinatum numerum callere , reservatum illi solum , qui condidit.

4. Nulla prorsus materia , etsi spiritualem per chimaeram effingas , ornan- tur Angelici spiritus.

5. ; Induentne fortasse tenuia corpora sibi per naturam unita ? Apage stul- torum deliria.

Ad-

6. Adsumunt multoties Angeli aërea corpora , in quibus vitae sensitivae operationes numquam exercent.
7. Loco aliquo existunt Angelici spiritus : hanc oppugnare adsertionem, praiceps mihi , et inconsiderata temeritas.
8. Intellectiones suas perficiunt Angeli , non quas ex naturalibus mutuantur speciebus , sed quas eorum menti in creatione indidit sapientissimus conditor.
9. Cordium abditissima secreta , gratiaeque Mysteria ab Angelorum notitia absunt quam longissimè.
10. Cognoscit actu semper seipsam Angelica mens ; noscit quoque semper sui auctorem.
11. Angelus inferior , quantumcumque conatus suos exercent omnes , superiorem comprehensive capere haud poterit , si vim eius naturalem spectes.
12. Diligunt se Angeli mirabili , perennique quoad exercitium necessitate eodem prorsus amore afficiuntur in Deum.
13. Angelos in sui conditione naturali beatitudine decoravit Deus , supernaturali non item.
14. Gratiae sanctificantis iuvamine opus erat Angelis , quo ad Deum supernae eorum beatitudinis obiectum possent pervenire.
15. Comperta magis res est , quàm ut dubitatio aliqua exoriri posse videatur , Angelos decoratos fuisse gratiae sanctificantis dono , antequam ad felicitatis terminum pervenissent.
16. Non ita inconcussum , etsi verosimilius , ea cumulos fuisse in sui creatione.
17. Sapientissima oeconomia , miraque consensione supernaturalia gratiae , et gloriae dona Deus contulit Angelis secundum naturalium perfectionum proportionem.
18. Supernam beatitudinem meritoriis actibus adeptos fuisse Angelos , ita certum , ut nec vel levi indigeat disquisitione.
19. Hancque non per opera tempore subsequencia , sed quae illam tempore praecesserint , assecutos putamus.
20. Primarium omnino perfectum caritatis actum , quo Angeli aeternam beatitudinem meruerunt , mirabili celeritate secuta est felix illius adeptio.
21. Nec omnium Angelorum similis sors , parque conditio : in gravissimum quippe scelus ruunt apostatae , eorumque tot praesidiis munitam naturam corrumpit laethalis culpa ; at qua via , qua rimula ? nodum hunc gordiano famosorem extricabimus.
22. Primum Angelorum crimen , cuius durissimas poenas in aeternum luent , et ultra , non omissionis , sed commissionis , superbiae nempe , aptissimè vocamus.
23. Eorum ceu improbabilem reiicimus opinionem , qui Angelos aliquam cum Deo in natura aequalitatem credunt exoptasse.
24. Igitur sua excellentia plus aequo elati Angeli apostatae , in pulcherrimis sibi à Deo collatis naturae dotibus beatitudinem suam statuentes , nulloque
ad

ad supernaturalem ex gratuito Conditoris beneficio obtinendam habito respectu, aeternum superbiae dedecus admiserunt.

25. Angeli in primo suae creationis instanti nec peccarunt, nec absolute peccare potuerunt: validissimae sunt rationes, quibus adsertum hoc ad oculum demonstrat Ang. Praeceptor.

26. Angelus immobiliter adhaeret fini, ad quem semel ex certo iudicio, et perfecta deliberatione procedit: haecque interna causa Doemonum obstinationis.

27. Mali Angeli eatenus in peccato sunt obfirmati, ut bonum opus morale possint facere omnino nullum.

28. Explorata res est, non tamen ad fidem spectans, inferni ignem, quo miserè torquentur Angeli rebelles, materialem esse, atque corporeum.

29. Acerbissimis huius ignis vinculis ita alligantur subtilissimae Doemonum potentiae, ut minimè sint ubi volunt; ubi verò nolunt, existere cogantur: horrendum certè illis Divinae virtutis instrumentum, cuius supplicium in aeternas durationes perennabit!

30. Loqui ad invicem Angelos arbitramur, superiores inferioribus, inferiores superioribus, omnes tandem Deo.

31. Illuminant praeterea Angeli supremi inferiores, artificioso quodam ordine eorum aptantes captui secreta naturae, gratiae, et gloriae arcana, quae ipsorum patent intellectui.

32. Concluditur Angelorum multitudo tribus Hierarchiis, harum unaquaeque in tres dispertitur ordines: ergo novem Angelorum chori numerandi? ita sanè.

33. Sortitur quisque Angelorum proprium chori nomen, singulareque, in quod ex Divina ordinatione deputatur, munus. Vin id enucleatius? audies in arena.

34. Quamvis omnes Angeli Deo assistant, promptissimaque inserviant voluntate; non omnes tamen in visibile ministerium delegantur, sed aliqui solum. Et quinam hi? qui in inferioribus ordinibus sunt constituti.

35. Singulis hominibus vel ab ipso exordio Angelus in ipsorum favorem, et custodiam adest deputatus.

36. Omnium, non tantum Regnorum, verum etiam Provinciarum, et Ecclesiarum specialem protectionem, atque tutelam sanctis Angelis demandatam censemus.

37. Nulla est in Doemonibus Hierarchia, Praelatio nulla, si gratiam, et gloriam à quibus exciderunt, spectes; si verò naturae dotes, invenies utramque.

38. Habentne singuli homines sibi proprium Angelum malum in exercitium, sicut suus est cuique bonus in custodiam? in negantem libenter descendimus sententiam.

Ultimus hominis finis, et Beatitudo.

ECCLESIAE DOGMATA.

1. Eliminatam dic penitus eorum inscitiam, qui originis, Creatorisque sui

obliti, hominis beatitudinem in divitiis, honoribus, gloria, potestate reponunt. Desperant avari, ambitiosi, politici, nihil enim praesidii adfert cupiditatum cumulus ad bene, beatèque vivendum.

2. Anilibus recense fabulis Aristippi, ac Mahometis deliramentum, in corporeis voluptatibus summam hominis felicitatem locantium.

3. Stoici altiùs sentientes, beatitudinem virtuti adscribere; ast haec opinio, utpote media cum fine imperitè confundens, deserenda prorsus.

4. Reliquum est, ut Deus hominem, quem ad suam efformavit imaginem, ad semetipsum, velut unicam ipsius felicitatem, ultimumque finem ordinaverit; cum ipse solus vastissimum, latissimumque hominis possit explere appetitum.

5. Explodimus, exhibilamusque turpissimum illud, atque ad libidines effectum Chiliastarum regnum è Cerinthi cerebro natum.

6. Fide catholica firmiter profiteamur, claram Dei visionem iustorum animabus è corpore solutis, quibus nihil supersit purgandum infirmitatis humanae, nec ad minimum tempus differri.

7. Suas, quantum lubeat, vires exerant A catholici; numquam tamen ostendent, aliquos esse in Coelo beatos, peccato vel conspurcatis, vel conspurcandos.

8. A supernae felicitatis possessione nusquam poterunt deturbari Beati; quidquid sentiant Reformati, vim huius dogmatis Ecclesiae magisterio finiti frustra eludere molientes.

SCHOLAE POSITIONES.

1. Ultro, libenterque excipimus hanc in scholis vulgarem finis notionem; *id, cuius gratia agens operatur*. Varias, selectasque illius divisiones audies in arena.

2. Totis viribus suadere nititur Vasquesius, fini, qui dicitur intermedius, perperam illius adscribi rationem: votorum tamen compos minimè evadet.

3. Hominem propter finem operari, et quidem perfectissimo modo, ex illius actionibus ita perspicuum, ut nisi qui mentem exuerit, audeat inficiari nullus.

4. Agentia cetera in suos fines à sapientissimo mundi Rectore dirigi certissimè adseveramus: aequum tamen rationalia inter et ratione carentia constituit discrimen.

5. Anxia illa voluntatis humanae cupido in hac terrenorum colluvie nunquam satiata, duos totales fines nec prosequi, nec appetere valet.

6. Iucundissimus ille actus, in quo formalem beatitudinem constituimus, unus est, atque indivisus, non multiplex.

7. Voluntasne, an intellectus praefenda operatio? huic posteriori primas committimus, in eius perfectissimo actu formalem statuentes felicitatem.

8. Divina visione gaudentes beati necessariò etiam quoad exercitium in Deum rapiuntur amore. O terque, quaterque felix amandi necessitas!

9. Plenissimam quoque peccandi impotentiam ex Dei visione sortiri beatos, docet Ang. Praecep. nobisque una mens est.

10. Vel ipsum habituale peccatum cum beatorum statu conciliare, irritò conatu quisquam pertentabit.

11. Exigit Sanctorum felicitas suapte natura in aeternum et ultra perennare.
12. Miris animi, corporisque dotibus cumulantur beati, pulcherrimisque decorantur aureolis: desiderasne nostram in eo impensam operam experiri? audies è suggestu.

Hominum officia.

ECCLESIAE DOGMATA.

1. Persistit adhuc in nobis Protoparentis Adami labe inquinatis liberi arbitrii facultas, seu libertas indifferentiae. Unde temporis, et rei iacturam miserè faciunt Lutherus, et Calvinus, eam de medio tollere conantes.
2. Ad merendum, et demerendum in statu naturae lapsae requiritur in homine libertas à necessitate: non enim muneri huic immunitas à coactione putanda est sufficiens.
3. Non ad libertatis spectat essentiam, posse peccare: hoc creaturarum inest libertati ob illarum imperfectionem.
4. Liberi arbitrii indifferentia merè passiva non est. Agit quidem illa, à primo Auctore, cui subest, placidè, leniterque excitata. Haec adversus Lutheranos à Tridentino fulmine penitus concussos.

SCHOLAE POSITIONES.

1. Utrisque ulnis amplectimur hanc voluntarii notionem: *Quod est à principio interno cum cognitione finis.* Plures illius divisiones referre non cunctabimur.
2. Cave, ne voluntarium liberum indigitari credas dumtaxat, cum audis perfectum; non enim idem utrumque, sed omnino diversum.
3. Omissionem indirectè voluntariam invenire licet absque omni prorsus voluntatis actu, qui essentialem eius ingrediatur rationem: qui verò occasio sit illius, exigit aliquem.
4. Suadet non una, sed multiplex ratio, omissionem voluntarii induere essentiam absque praecepto illius, qui omittitur, actus.
5. Existimandumne idem de effectu, qui omissionem consequitur? minimè gentium: hunc enim involuntarium pronuntiamus, ni forte omissio per modum medii in illum dirigatur.
6. Desperati consilii nisus est, actus à voluntate elicitos extorquere coactè; imperatos verò externa vi poteris remorari facillimè.
7. Involuntarios dic penitus actus illos, quos ineluctabili violentia agitatus elicuerit homo.
8. Actio ex metu illo extorta, quo viri alioqui strenui, et constantes percelluntur, simpliciter voluntaria manet, involuntaria verò secundum quid.
9. Concupiscentia illa, quae actum antecedit humanum, absolutum, ut aiunt, voluntarium adauget; perfectum verò, liberumque minuit, extenuatque.
10. Nobis intimè persuassum, ignorantiam, quae actum praecesserit, illum

constituere involuntarium ; si consequatur , voluntarium ; tandem si concomitanter se habeat , solummodo non voluntarium.

11. Varias libertatis sunt acceptiones ; non una , sed multiplex illius radix ; desiderasne haec omnia percipere ? ex mira Angelici Praecepti doctrina iussi loquemur.

12. Haec prae aliis ad palatum nostrum libertatis elucidatio : *Vis electiva mediorum servato ordine finis.*

13. Illorum nos placidè excipimus sententiam , qui non per solam à coactione immunitatem , verum et à necessitate libertatis essentiam constitutam iri putarunt.

14. Omnes licet intendas conatus , poteris nequaquam voluntatem necessario movere , stante indifferenti , ancipitique iudicio.

15. Obiectum ullum adpetere haud valet voluntas , quod mali solum praeserferat speciem , aliqua quippe saltem boni larva exornetur , oportet.

16. Intellectus , et voluntas ut in determinatos procedant actus , mutuò se iuvant , foventque : ; at quonam pacto ? ex Thomistarum doctrina illico resolvemus.

17. Minus prae maiori proposito bono appetere nescit voluntas , nisi practici iudicii aliqua obveniat mutatio ; igitur electio semper de meliori bono statuenda ? ita quidem.

18. Ab obiecto regulis morum aptato primam , essentialemque bonitatem , aut malitiam humanae sortiuntur actiones.

19. Arridet non paucis , moralitatis essentiam per denominationem externam explicare , quibusdam per humani actus libertatem : verum à veritatis semita aberrasse contendo universos.

20. Aptius ergo in tendentia , sive relatione reali transcendentali , qua voluntatis actus in obiectum consonum , dissonumve feruntur , reponenda moralitas.

21. Eos verosimilius opinari propugnamus , qui inter moralitatis species indifferentiam connumerandam censent.

22. Humani actus nonnullam bonitatem , aut malitiam induunt ex quarundam circumstantiarum interventu.

23. Consequitur inde , finem , qui inter circumstantias haud infimum obtinet locum , hominum actionibus nonnihil decoris , aut turpitudinis mutuare.

24. Quamvis circumstantiae nonnumquam actus bonitatem tantum augeant , vel malitiam imminuant ; plusquam semel novam peccati speciem constituere apprime novimus.

25. Hominis operationes specificam , essentialemque probitatem obiecto morum regulis consono referunt acceptam , accidentariam verò fini.

26. Par est malitia , etsi indirectè volita , actioni humanae commaculandae : quae è converso non erit laudabilis , nisi formaliter , et explicitè illius expetatur honestas.

27. Bona intentio , ex qua turpis fluat electio , hac coinquinatur : malam electionem proba intentio honestare non valet , esto illius quadantenus minuatur sordes.

Ele-

28. Electio bona , quatenus electio , ex improba sordescit intentione : haec ex illa fit minimè recta.

29. Unus , idemque actus duplicem , alteram ex obiecto , ex fine aliam bonitatem , sive malitiam sibi copulare potest.

30. Actus aliunde natura honestus, cuius electionis adaequatam rationem prae-
vus constituit finis , omnem prorsus nescit bonitatem , et undique foedatur.

31. ? Quid si malus finis non unica , sed dimidiata sit causa , cur eligatur ?
bonitatem , simulque malitiam induere , nihil quidem vetat.

32. Humanas aliquot noscimus actiones , quas si seorsim , et secundum spe-
ciem spectes , nullam bonitatem , aut malitiam in eis odorabis.

33. Actus in individuo consideratus , deliberatè ab humana procedens volun-
tate , omnem penitus fugit indifferentiam ; honestatem ergo , aut turpitudinem
amat.

34. Humana voluntas , ut rectè erga Deum se gerat , eius volito , ut aiunt,
formali debet esse concors : à materiali verò discordare sine piaculo potest , nisi
forte Dei innotescat praeceptum , vel prohibitio.

35. Interiori voluntatis affectui nihil decoris, nihilque inhonestatis primariae,
et essentialis praestat externa executio , sed accidentalem tantummodo.

36. Actum exteriorem consequens eventus illius bonitatem aut malitiam
auget , modò et praevisus sit , et aliquo pacto intendatur.

37. ? Quid si eventus ex actu necessaria fluat connexionione ? aut laudem , aut
vituperium addet , etiamsi nec volitus sit , nec aliquo modo praevisus.

Conscientia morum regula.

ECCLESIAE DOGMATA.

1. Iunioris , et moderni alicuius opinio probabilis censenda non est , etiamsi
ab Apostolica Sede tanquam improbabilem reiectam esse non constet.

2. Generatim dum probabilitate sive intrinseca , sive extrinseca , quamvis à
probabilitatis finibus non exeatur , confisi aliquid agimus , non semper pruden-
ter agimus.

3. Ab infidelitate non excusabitur infidelis non credens , si minus probabi-
li ducatur opinione.

4. De Sacramentorum dum agitur collatione , hoc extra dubium situm , li-
cere haudquaquam probabilem de Sacramenti valore amplecti opinionem , tutio-
re relicta.

5. Nec probabilitatis speciem prae se fert illorum adsertio , qui licere Iudici
iuxta minus probabilem opinionem sententiam ferre , ariolantur.

6. Quando litigantes aequè probabilibus pro se opinionibus haerent , pecu-
niam accipere nequit litis decisor pro ferenda in favorem unius prae alio sen-
tentia.

7. Ridendi veniunt , omniumque excipiendi cachinnis , qui opinionem inter
probabiles probabilissimam non licere sequi arbitrantur.

Som-

8. Somniantium numero , ne dicam delirantium , eos accense , qui Probabilismi usum tutum , Probabiliorismi verò periculosum , ausu adserunt inaudito.

9. Ad Christianam perfectionem tendere aliquem non posse , nisi per Probabilismum , est , qui laxitati indulgens , suadere conetur. At sunt solida , firmaque argumenta contrarium evincentia.

10. Tanquam in Sole noctuas caligantes eos despiciamus , qui genuini Probabilismi usum in laxitatem praecipitem ruere non posse , usumque Probabiliorismi in rigorismum tendere debere , insanis , bardisque propinant.

11. Qui ex praecepto Probabiliorismum amplectitur , nequit ut Rigorista audiri ; quinimmo omni laude dignum se praebet.

12. ; Quid verò si ex consilio inhaereat Probabiliorismo ? ; Eumne laudari oportebit ? Minimè gentium.

13. Probabilismum Christo familiarem , est qui adstruere tentet : ; ast quò fingendi , fabulandique cacoethes homines abripit !

SCHOLAE POSITIONES.

1. Interior morum nostrorum regula , ad cuius normam omnes actiones formandae , rectè conscientia apud Theologos audit : unde communi Scholasticorum calculo ita definitur : *Iudicium , seu dictamen intellectus practici ex communibus principiis dictans hic et nunc aliquid faciendum ut bonum , vel fugiendum ut malum.*

2. Iuxta varias iudicii nostri rationes diversas comparitur divisiones , de quibus dum per vos licuerit.

3. Scelus est refragari conscientiae praecipienti , aut prohibenti , sive vera sit , sive erronea : ; quid si vincibili ducatur ignoratione ? ita quoque.

4. Morem gerere adstringimur conscientiae , quae invincibili laborat errore , si ad aliquid faciendum iussione cogere conspicitur.

5. Idque de conscientia vincibiliter errante , modò , prout tenemur , non deponatur , intelligendum volumus.

6. Subditus dubio , aut etiam probabiliori iudicio de illicito superioris praeepto pulsatus , poterit absque crimine , imo et aliquando tenetur obtemperare , ex principiis moraliter certis sibi tutam efformans conscientiam.

7. Extra dubium iudicamus , teneri confessarium suum poenitentem admonere de vincibili , si qua labore , rei turpis ignorantia , etiamsi in bonam frugem non redditurum adpareat.

8. Opus contranitente conscientia , sive recta , sive erronea peractum specialis criminis haud induit rationem ; eam ergo dumtaxat contrahit maculam , quam ipsa dictaverit conscientia.

9. Non modò licet , verùm et expedit , imo obligatorium est conscientiam scrupulis agitatum parvi ducere.

10. Scrupulorum causas , et remedia frequenti sapientium experientia comprobata , quibus eis mederi expediat , nostra interest assignare.

11. Nullatenùs licet secundum dubiae , probabilis , aut probabilioris conscientiae ductum operari ; sola igitur ea , quae moraliter est certa , tanquam actionum nostrarum regula debet haberi ? ita profectò.

12. Minus probabilem , minusque tutam libertati conniventem opinionem probabiliori , et tutiori praeponere nefas est , ubi de obiectiva actionis honestate disceptatur ; adversantium tela nec minimam nobis ingerunt formidinem.

13. Miserè decipiuntur , putidoque ducuntur commento , qui Iansenismum probabilioris sententiae matrem adpellant.

14. Binas inter opiniones , quibus ob aequalia fundamenta par , similisque constat probabilitas , tutiorem , praeceptoque faventem adamussim cogimur sectari.

15. Nihil penitus litteris consignarunt splendidissima Ecclesiae lumina Aug. et Thom. quod vel in speciem Probabilistarum foveat Systema ; iniuria ergo in sui patrocinium eos obtrudunt adversarii.

16. Possumus et quidem impune opinionis verè probabilioris , libertati tamen indulgentis premere vestigia , minus probabili , sed tutiori relicta , ubi de obiectiva actus honestate sermo procedit. Vendrokus igitur , eiusque asseclae oppositum iactitantes nihil nos movent.

17. Supremi numinis iram suis cervicibus conciliat absdubio Theologus , qui in consiliis tradendis opinioni innititur sibi minus probabili , sed quam noscit multarum votis ceu probabiliorem consignari.

18. Eis absolutionis beneficium impertiri nefas , qui opinioni minus probabili pervicaciter adhaerentes , monitione confessarii insuper habita , eam deponere detrectant.

19. ; Fasne eam sectari sententiam , quae nonnullis probabilior , mihi autem minus probabilis directè adparet? Neutiquam.

20. Pessimè erga Deum se gerit , qui opinionem amplectitur sibi prima fronte probabiliorem , nulla momentorum , aut exigua praelibata discussione.

21. Fugito igitur quamlongissimè stultissimos , ignarosque homines , qui excusandis excusationibus in peccatis unicè intenti , varios evolvunt Casuistas , donec suae libertati lenocinantem inveniant : digni profectò , quorum super illicitas cupiditates spargat Deus poenales coecitates.

Peccati natura , et species.

ECCLESIAE DOGMATA.

1. Turpiter labuntur Stoici , et à ratione aberrant quammaximè , dum peccata quaelibet , dempto nullo , paria esse insulsè comminiscuntur.

2. Maior Haereticorum recentiorum numerus exitiali ductus principio , in alterum impiissimum errorem descivit , omnia scilicet peccata natura sua adserens lethalia : at in meridie caecutiunt.

3. Motus sensualitatis primoprimum , qui omnem scilicet praeveniunt rationis animadversionem , quosque vel inviti patimur , etiamsi circa obiecta graviter illicita versentur , peccata non sunt , nequidem venialia.

Gen-

4. Gentes illae, quibus nunquam Christus est praedicatus, Ius positivum Divinum invincibiliter queunt ignorare.

5. Haec quidem ignoratio, sicut et Iuris naturalis, si vincibilis non sit, nihil detrimenti adfert operantibus ex ea.

6. Contra scelestissimum, perditissimumque Calvinum arma convertimus, qui Deum peccati auctorem, et causam nefario crimine blasphemat: intimè enim nobis persuassum, D. O. M. haudquaquam inspirare, aut suadere homini peccatum.

7. Neminem ob praevaricationem Aadae nasci infectum peccato, damnationique obnoxium, finxit Pelagius. At tali ausu sese erigentem hydram hanc veteris, ac novi Testamenti momentis, SS. Patrum scriptis, Ecclesiasticisque definitionibus concutere, atque obtruncare nihil erit negotii.

8. Est ergo fides Catholica, etiam in Sanctorum filios Originale peccatum transire. Haereat ad fauces Novatorum lingua hac in parte Pelagianis gestientium; cum nullus, ni speciali donetur privilegio, ab hac contagione sit immunis.

9. Frustra quaeretur Catholicus, qui asserat, eius conditionis esse omne scelus, ut suum auctorem, omnesque posteros eo modo inficere possit, quo prima infecit transgressio.

10. Ex peccato mortali maculam in animam peccatoris manare, ille solum inficiabitur, qui Catholicae fidei subvertere fundamenta conetur.

11. Peccatum quodlibet mortale personale duplicis poenae, damni scilicet, et sensus inducit reatum.

12. Deleta macula, dimissoque quoad culpam peccato, reatum poenae, mitioris licèt ac temporariae, (en Lutheranos urgemus) plerumque accidit remanere.

13. Poena, quae in inferno et hominibus, et Doemonibus reservatur, aeternum perennabit. Unde mortale scelus in hac vita non dimissum, in inferno poena plectetur aeterna.

SCHOLAE POSITIONES.

1. Vitium, quo nihil in natura tetrius, exitialem gerit cum virtute pugnam, ipsique è regione adversatur.

2. Vitia, quae in naturalem insurgunt rationem, virtutibus acquisitis directè opponuntur: infusas verò neque naturale, neque contra supernaturale vitium pessundat directè.

3. Vitium quodcumque nobilissimae hominum naturae quammaximè insidiatur.

4. Rectissimè peccatum ex Mag. P. Aug. ita apud Theologos audit: *Dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei aeternam.*

5. Consequitur inde, peccatum aliquod desiderari frustra, quod Dei O. M. non offendat altissimam maiestatem.

6. Opus omne, quantumvis ex obiecto honestum, quod in causa est, cur
actus

actus praecepti omittatur executio , ex ipsa omissione foedè corrumpitur ; secus tamen , si concomitanter , ut loqui amant Theologi , solummodo concurrat.

7. Actionem , quae ex omissione , cuius causa, vel occasio est, vitiatur , non aliam , quàm omissionis turpitudinem induere , nobis est certissimè persuassum.

8. Tunc peccatum commissionis inchoari tuemur , cum illius adponitur causa ; perfici verò , complerique existimamus tempore , quo urget adimplendi praeceptum , modò ommissio non revocata permaneat.

9. Variis , quas peccatum sortitur , partitionibus lustrandis adsumus , dum volueris.

10. Ex ordine ad obiecta in esse moris inspecta suam hauriunt peccata specificam disparitatem.

11. Numerica peccatorum distinctio non modò ex obiectis numero diversis, verùm ex morali actuum voluntatis interruptione venit capescenda.

12. Peccatorum aliqua sibi esse ad invicem copulata , haud inficior ; omnia tamen arctissimo foedere connecti , difficile adducor , ut credam.

13. Obiectorum , in quae peccata feruntur , discrepantia ; virtutes , quorum destruunt splendorem ; circumstantiae tandem , quibus stipantur actiones , totidem sunt scaturigines , unde peccatorum inaequalitas emendicatur.

14. Ex se , ceterisque paribus , prae carnalibus spiritualia peccata maiorem induunt deformitatem.

15. Non modò voluntas , sed et ratio , sentiensque appetitus sunt peccatorum sedes , ac domicilium ; ab iis , qui idem de membris , sensibusque externis pronuntiandum autumant , longissimè distamus.

16. Peccatum nullum , vel etsi veniale , in sensitivo appetitu adinvenies, quin illi morem gesserit voluntas.

17. Obvia iuris naturae praecepta , quae in prima , vel secunda classe constituuntur , haud valet homo rationis compos inculpate ignorare.

18. Quid si de abditioribus , quae tertiae classis dicuntur , feramus iudicium ? invincibilem horum ignorantiam posse dari propugnamus.

19. Christiani , quibus Evangelii lux pro suo captu nondum affulsit , possunt iuris positivi Divini inculpabili ignorance laborare.

20. Actualis scrupulus , aut suspicio de actus malitia haud semper mentem pulsare debet , ut inadvertentia ad actionis vitium censeatur vincibilis.

21. Invincibilis poenae ignorantia ab illa non liberat eum , qui graviter legem laedit , per quam est constituta.

22. Nec idem à nobis pronuntiari credas , cum de poena extraordinaria, aut censura Ecclesiastica instituitur sermo ; ab hac enim immunem omnino legis transgressorem putamus , vel ex quacumque ignorance , modò crassa , et supina non sit.

23. Voluntatem peccato foedari non arbitramur , quin error aliquis practicus mentem prius occupaverit.

24. Arrisit Illirico , originis peccatum in ipsa rationalis animae natura statuere : Pighio verò , in actuali Adae peccato : neutri adhaeremus.

Non

25. Non morbida qualitas à Protoparente in posteros transmissa , nec habitus in bonum commutabile hominem inclinans , nec concupiscentia , quemadmodum Novatorum pluribus placet , originalis noxae constituit essentiam.
26. Locanda igitur peccati originalis natura in primaevae iustitiae quoad praecipuum eius effectum privatione nobis voluntaria : concupiscentia verò materiale illius exprimit ideam.
27. ; At quo modo primi Parentis peccatum illius posteris voluntarium? quaestio haec est supra modum difficilis , cui enodandae impar est vel acutius ingenium , si pactum demas Deum inter et Adam , cuius voluntas omnium nostrarum vices gerebat.
28. Hoc pactum absdubio adseruit S. Thomas , et Mag. Augustinus haud obscure innuit. Videsis , quo iure Recentiorum plerique illud exhibent , et explodant ceu inane Scholasticorum figmentum.
29. Contrahitur originalis noxa seminaria propagatione , quatenus eà humana natura resultat primaevo iustitiae originalis candore penitus destituta , privatione nobis in capite voluntaria.
30. Universali macula humana natura corrupta non fuisset , si sola Eva, Adamo in iustitia perseverante , serpentis sibilis obtemperasset.
31. Genus humanum neutiquam pervassisset Caini peccatum , si solus hic, Adamo perstante , legem Dei sui fuisset transgressus.
32. Labes illa , qua peccantis foedatur , inquinaturque natura , non in reatu poenae , habitu , aut externa denominatione , nec in dispositione in bonum commutabile sponte sua ducente reponenda.
33. Sita est ergo mortalis peccati macula in privatione nitoris gratiae actualis peccatum , à quo suam capit originem , habitudine quadam deosculante.
34. Sua etiam ex veniali peccato contrahitur macula , quae gratiae splendorem non destruit ; tegit tamen , et obnubilat.
35. Unum peccatum alterius sano aliquo sensu nuncupari poenam , nihil est, cur timeamus adserere.
36. Non solum damni , verum et sensus poena ex interna sui ratione finita, et limitata est : ; vis ne eam aliquo pacto adpellare infinitam ? annuimus.
37. Mortiferum peccatum ex se , interiorique malitia sempiternae poenae debitum ; veniale verò temporariae solummodo reatum inducit in animam.
38. ; Luetne aliquando veniale peccatum aeterna supplicia ? luet et quidem, cum nempe homo et mortali, et veniali scelere conspurcatus truditur in orcum.
39. Lethale peccatum in hacce vita quoad culpam condonatum , in inferno poenas non subire aeternas , docet Angelicus Praecep. cuius adstare sententiae nobis perquamgratum.
40. Parvuli sola implexi originali noxa, naturae praematurè concedentes, poenam sensus , mitissimam licèt , experientur nullam : probatissimam quidem , nec M. P. Augustino contrariam tuemur sententiam.
41. Nec aliquam tristitiam , doloremve ullum ex visionis beatificae privatione patientur ; Ergone naturali felicitate illos donari volumus ? absit à nobis tam insana deliratio.

42. Proprii peccati luet unusquisque poenas , et anima quae peccaverit , ipsa punietur.
43. Posse quemlibet alterius poenas sibi adsumere in hac vita portandas , modò temporariae illae sint , aut in modum medicinae infligantur , negare non audemus.
44. Venialium peccatorum iteratos actus ad mortalem noxam expeditam nobis parare semitam , quotidiano , fatalique experimento comprobatur.
45. Quantumvis venialia peccata mille supra mille produxeris in aevum , mortalis criminis malitiam numquam coaequabunt.
46. Veniale inter et mortale peccatum discrimen , quod non leve Theologis facessit negotium , amplamque suppeditat dicendi materiem , paucis expediemus.
47. Mortale quodcumque crimen in esse moris inspectum , offensam involvit gravitatis simpliciter infinitae.
48. In sublimissimo iustitiae originalis statu constitutus homo venialem noxam admittere non poterat , quin prius gravi aliquo scelere legem sibi praescriptam fuisset praevaricatus.
49. Crimen perpetrat lethale , ultionemque Divinam promeretur homo , ni ad Deum , quoquo ipsius menti obversatur modo , rationis limen attingens , illico convertatur ; Criminarisne ceu durissimam hanc Angelici nostri Mag. opinionem ? nosce nos adversarios.
50. Exerat quisque , quantum valeat , ingenii sui vires , veniale tamen cum solo originali peccato neutiquam copulabit.

Iuris , et aequi regulae.

ECCLESIAE DOGMATA.

1. Ad Communitatem , eumque , qui Communitati curam debet impendere , leges spectat sancire , quae Respublica optimè statuatur , ac incolumis conservetur.
2. Penes veram Christi Ecclesiam legitima est ferendi leges potestas ; eaque in supremo illius Pastore , Oecumenicis Synodis , Nationalibus , Provincialibus , Legatis , Episcopis , Religiosorumque Ordinum Comitibus collocatur : his omnibus tamen parem esse facultatem negamus.
3. Quò nulla vi possent coerceri , fraenum ruperunt homines perversi , atque à vitae probitate legislativam pendere potestatem docuere ; verùm à Catholica doctrina , quae Principes et Ecclesiasticos , et Saeculares , sive boni hi sint , sive mali , tenet hac esse donatos , nos segregare non poterunt.
4. Detestatione , ne quid peius dicam , dignus est Novatorum hominum error , quis iustos à legibus prorsus immunes arbitratur.
5. Culpa Populus inquinatur , absque iusta causa non suscipiens legem à Principe promulgatam ; A catholicos oppositum propugnantes patienter quis ferat ?
6. Tamquam mente , et sensu captos , imo ut male feriatos homines arbitramur Waldenses , dum humanam quamlibet legem absque laesione conscientiae,

si absit scandalum , violari posse fingunt : novit enim quicumque sapit , nedum illas , sed et Civiles , et Ecclesiasticas in interiori conscientiae foro obligare.

7. Ergo praeceptum servandi festa ita hominum conscientias ligat ; ut illi nequeant sine noxa refragari , etiam si absit contemptus , et scandalum seponatur.

8. Qui toti legi facere non possit satis , partem saltem tenetur adimplere.

SCHOLAE POSITIONES.

1. Adcuratissima haec est , quam amplexamur , legis elucidatio : *Ordinatio rationis ad bonum commune ab eo , qui curam comunitatis habet , promulgata.*

2. Lex secundum essentialem notionem spectata , ad rationem pertinere conspicitur ; ea tamen , quae positiva nuncupatur , voluntatis actum sibi vindicat absdubio.

3. Non aliquid particulare , sed totam , qua latè patet , communitatem lex respicere debet , eiusque felicitati totis viribus inhiare necessum est.

4. Legis promulgationem requiri , ut obligationem pariat obediendi , ita notum , ut nulli hac in re haesitare fas sit ; eà verò legem essentialiter constitui , difficile mihi poteris suadere.

5. Legum omnium non alius scopus , quàm hominum rectitudinem meditari , eorumque libidini tot inter huius vitae discrimina implicatae mederi.

6. Actus , quibus id muneris exequitur lex , quatuor aptissimè recensentur , scilicet , praecipere , prohibere , permittere , et punire.

7. Primariam inter omnes obtinet sedem aeterna lex. Hanc Deo denegandam , stulta fuit quorundam opinatio nobis penitus exosa.

8. Haec legis aeternae exactissima notio : *Divinae sapientiae ratio , quatenus est directiva actuum , et motionum creaturarum in ordine ad commune totius universi bonum.*

9. Nobilissima est scaturigo aeterna Dei lex , à qua ceterae feliciter proficiscuntur.

10. Extare legem naturalem omnium cordibus inscriptam , intima conscientia est cuique notum : eam ergo , nisi qui oculos clauserit , et aures obturarit , audebit inficiari nullus.

11. Ast quid illa sit , non ita constat : nobis placet eam adpellare naturale lumen ab aeterna Dei lege impressum , et participatum.

12. Plurima inter legis naturalis praecepta , hoc unum est , scilicet , bonum faciendum , malumque fugiendum , cui basis adinstar cetera innituntur.

13. Non solum moralia principia ; verum et conclusiones , quae ex eis necessaria consecutione deducuntur , ad legem naturalem spectant absdubio.

14. Iure optimo falsitatis revincitur eorum opinio , qui naturae legem intrinsecus immutari , abrogarique posse contendunt.

15. Nec supremus omnium dominus valet quemquam ab eorum , quae legis naturalis sunt , vinculo propria dispositione liberare : vide hinc quonam in pretio habendi , qui per humanam potestatem id factu possibile suspicantur.

Na-

16. Naturalis lex aliquam licet compatiatur interpretationem, omnem prorsus excludit Epiikiam.

17. Attenta hominum pervicacia, morumque corruptione, incassum quaeritur Reipublicae pax, virtusque splendidissimum illius ornamentum, legibus de medio sublatis, quibus protervi in bonam frugem ducantur; eas ergo communi bono perutiles esse, nemo sanae mentis audebit in dubium revocare.

18. Humana lex in Ecclesiasticam, et Civilem bipartita cernitur: utramque qualitates nonnullae debent comitari; Quenam hae? erit Lex honesta, iusta, cet. quas refert Isidorus.

19. Canonum collectio, quam adornavit Gratianus, non aliam ab ea, quae fontium est, locorumque, è quibus suam derivat originem, obtinet auctoritatem.

20. Ut ligandi vim sortiatur lex quaelibet, eam ex natura rei, iure positivo secluso, necessariam agnoscimus promulgationem, qua in subditorum notitiam censeatur prudenter pervenire potuisse.

21. ; Quid si iuris positivi habeas rationem? Imperiali lege nullum adstringi putamus, quin prius in singulis, ad quas mittitur, Provinciis edicatur.

22. In cunctis etiam Provinciis, seu Dioecesibus promulgandas ducimus Pontificias leges ius novum statuentes, novamque inducentes obligationem, ut iis fideles teneantur parere: si verò antiquum solummodo iam aliàs sufficienter inculcatum exhibeant, aut contrarium superiori exprimere arrideat, non idem est nobis existimandum.

23. De onerosae legis revocatione, et quandonam desinat obligare, nonnulla proferemus.

24. Privilegii, alicuiusve indulgentiae revocatio lege communi lata, integrè suum sortitur effectum, eorum etiam respectu, qui illius nescientia ducuntur, si in Provinciae Metropoli interim promulgari contingat.

25. Irritum censi non debet privilegium, si ad illius, cui concessum fuit, aures nondum revocatio pervenit; modò ea per nuntium feratur.

26. Nullam fidem eorum dictis adiungimus, qui legem Caesaream, binis à promulgatione mensibus nondum expletis, ligare propugnant; dictum id accipe, si nullum à rectore indicetur tempus, quo suam legem adstringere velit.

27. Pugnacissimè contendimus sive Civilem, sive Ecclesiasticam legem à populi acceptatione minimè pendere; latae igitur à supremo domino tenetur quis vel invitus acquiescere.

28. Limites suae potestatis pertransiret Ecclesia, si actus internos, qui cum exteriori nihil habent commune, aut directè praescribere, aut interdicare moliretur.

29. Poterit Ecclesia suam exercere dominationem circa internos actus, si tales hi sunt, qui ad exteriorum certam moralitatis speciem necessariò requirantur.

30. ; Valebitne praecipere, aut prohibere interiores actus, qui internis accidentaliter tantum respondent? si quid in re ancipiti, dubiaque valde pronunciare liceat, in affirmantem ceu verisimiliorem opinionem animum convertimus.

31. Illorum sententiae haud placidas aures praebemus, qui vanum, irritumque suspicantur opus, quod ex caritate, aut virtutis habitu non fluat, ut quis praecepto satisfacere possit.
32. Scienter tamen, et voluntariè fieri debere praeceptum opus, ut ei fiat satis, nihil est prorsus, cur adserere vereamur.
33. Eum in legem non peccare, nobis probabilius adparet, qui rem iussam, animo licèt refragante, eo quo debet, exequitur modo, si tamen superior ipsam non praescribat obedientiam.
34. Non modò poenae, verùm etiam actus, omissionisve, pro quo mulcta taxatur, obligationem includit poenalis lex.
35. Poenalem legem nullam agnoscimus, quae in conscientiae foro reum ad subeundam poenam, cuius executio aliquam requirat actionem, obstringat, Iudicis non praeunte sententia.
36. Si verò de privativa poena loquamur, poterunt ad illam subeundam ligare leges poenales, nondum pronuntiata à Iudice sententia: earum tamen per paucas adinvenies.
37. Ubi Iudicis elucescat sententia, tenebitur citò legis praevaricator eas obire poenales actiones, quae ab ipso commodius, quàm à Iudice, eiusve ministris queunt operi mandari.
38. Humanam legem adinvenies nullam, quae transgressorem ad culpam adstringat mortalem, si et gravis materia, et in Legislatoris animo intentio deficiat ligandi sub gravi.
39. Observandas regulas desideras, quarum praesidio à levi materia gravem secernere valeas? in circo dabimus cumulatissimè.
40. Eis libentissimè sociamur, qui vel cum ipsius vitae discrimine ducunt observari debere humanas leges, quando hae privati cuiusvis hominis bono praecellunt.
41. Possumus nonnumquam unico actu, pluribusve eodem tempore exercitiis plurima implere praecepta.
42. Legibus à se constitutis obstringitur Legumlator, quamvis absolutus ac supremus, si ex aequo ipsum ac subditos respiciant: quoad directivam vim, minimè coactivam id teneas, quaeso.
43. Religiosos, quos exemptos vulgò nuncupamus, legibus Episcoporum, quae ad communem gubernationem, totiusque populi devotionem spectant, quoad vim tantùm directivam obnoxios praedica, teque gratissimè excipiemus.
44. Rationis usu constanter orbatos, pueros scilicet, perpetuòque amentes legibus humanis haud circumligari, constantissimè propugnamus.
45. Ubi discretionis tempus incipit irradiare, legibus iis pueri obligantur, quae eorum aetati conveniunt.
46. Qui gentilitatis tenebris miserè volutantur, infideles legibus Ecclesiae nullatenus subduntur.
47. Potest iure Ecclesia in haereticos animadvertere, legumque suarum observantiam ab eis strictissimè exigere.

48. Peculiaribus suae Patriae legibus ut plurimum advenae, et peregrini non adstringuntur : noli tamen credere , alicui horum fraudem patrocinari.

49. Itinerantes , et vagi locorum , ad quae accedunt , leges servare tenentur , si tandiu eos ibi commorari eveniat , quandiu legis observationi sat est ; secus verò , si id non contingat.

50. Legislator , ei pari auctoritatis gradu succedens , ipsoque superior leges cassandi , penitusque abrogandi summa potitur libertate , si ita communi bono expedire videatur.

51. Lex cessat , prorsusque evanescit, si adaequatus illius, et totalis finis unde quaque deficiat.

52. Consuetudine rationi consona lex potest induci , idque sive conniventiae , sive praescriptionis via. Si utrumque ius demas , actum de nostra sententia.

53. Per consuetudinem rationi respondentem valebit eodem pariter modo humana lex , etiamsi irritans haec sit , abrogari , eique derogari.

54. Potestate ordinaria gaudet legislator , eius successor , eove superior leges à se latas solvendi ; inferiori autem delegata tantummodo facultas potest concedi.

55. Nulla stante legitima causa , poterit validè superior in suis legibus dispensare , haud tamen impune.

56. Iusta cessante causa , ob quam dispensatio fuerat concessa , non ideo irritum evadit privilegium , ni tempore , quo causa permanserit , fuerit adligatum.

57. Cadens obreptio , aut subreptio supra principalem dispensationis causam , illam penitus quassabit.

58. Ubi verò supra impulsivam , minusve praecipuam causam versatur obreptio , aut subreptio , corrui quidem dispensatio , modò ex allegantis malitia id evenerit ; ; quid si ex illius simplicitate , aut ignorantia proficiscantur ? valida censetur.

59. Reticentia veri ad moralem rei substantiam spectantis vitiat concessam dispensationem : idem quoque existimamus , dum aliquid eorum tacetur , quod stylus Curiae Romanae requirit , si ab ea exigatur dispensatio.

60. Epikiam in humanis legibus locum obtinere quammaxime , in tuto reponimus.

61. De legum interpretatione , quam in authenticam , usualem , et doctrinalem partiri mos est , nolis me anxie sollicitum.

Dei gratia.

ECCLESIAE DOGMATA.

1. Humanae naturae sublimatio , et exaltatio in consortium Divinae naturae haudquaquam fuit primae conditionis integritati debita , proindeque supernaturalis dicenda est , non naturalis.

2. Primi hominis immortalitas gratiae beneficium erat , non naturalis conditio.

Ma-

3. Mare coelo miscent , confundunt omnia , distinguntque nihil plumbei illi homines , qui corruptum , gravique pollutum crimine in omnibus operibus peccare crediderunt.

4. Nulla penes garrulos illos sui commenti stabit usura , qui peccatorem in omnibus suis operibus dominanti servire cupiditati , invisae audacia contendunt.

5. Iansenio , et Baio nequeo non subirasci , dum omnia infidelium opera peccata esse diiudicant.

6. Procul pulsa ab homine per peccatum gratia , in illius tenebris consepultus manet , donec ipsa gratia illuminetur.

7. Quis vel mediocriter sapiens prima fronte non videt purum , putumque esse Pelagianorum delirium , naturalibus operibus posse nos vel de condigno , vel de congruo supernaturale gratiae adiutorium mereri ? Reperies profectò nullum.

8. Ut ut lapsus homo vires exerat , minimè se paratum reddet ad gratiam sive actualem , sive habitualem , ni actualis gratiae iuvamine praeveniatur.

9. Habitualis gratia donum est Dei , animaeque intrinsecus haeret : ; Ecquis , quaeso , foeditissimorum Lutheranorum , Calvinistarumque oppositam doctrinam cum stomacho non audiat ?

10. Ad singulos pietatis actus Reparatoris gratia nos minimè indigere , sunt qui autument. ; O misera , despectaque cordis elatio !

11. Nostra hodie desudabit industria in illorum commento refutando , qui gratiae interiori in statu naturae lapsae nunquam resisti sustinent.

12. Nec stipite aliquanto plus sapiunt , qui ad fidei , bonaeque voluntatis initium supernam gratiam necessariam non concedunt.

13. Ut adultus homo , sui que compos iustificantem consequatur gratiam , dispositionem requirimus , quae est actus , et motus liberi arbitrii , quibus in Deum properamus ab ipsius gratia excitati.

14. Quamdiu iustus mortalem hanc vitam ducit , de iustificationis gratia omnimodam habere nequit certitudinem , ni speciali instruatür revelatione.

SCHOLAE POSITIONES.

1. Gratiae nomine , quo nihil pulchrius , nihilque magis decorum creaturae rationali in illius infirmitatis sublevamen impertiri valuit munificentissimus legislator , non conditoris dona ad naturam spectantia volumus significari , sed beneficium supernaturale divina liberalitate nobis collatum , intuitu meritorum Christi in ordine ad salutem aeternam.

2. Gratiam sic enucleatam multifariam dispertiri arridet nobilioribus Scholae Theologis : eas ergo , quae communiter circumferuntur gratiae partitiones , praesto sumus vindicare , atque luculentissimis Scripturarum divinarum eloquiis illustrare.

3. Tritam amplectimur naturae humanae in quinque status partitionem , purae nimirum , integrae , cet. et en nos in rei huius expositionem sponte devexos , si patienter feratis. Na-

4. Naturales hominis vires ad morale eiusdem ordinis bonum, adhuc stante peccato, interius imminutas non credimus; forinsecus verò nonnihil detrimenti tulisse, probabilius sustinemus.

5. Poterit rationalis creatura, specialis gratiae dono minimè decorata, veritates aliquas naturales adsequi; si autem singulare ei demas adiutorium, omnes nequaquam poterit intueri.

6. In statu naturae lapsae constitutus homo, praevioque generali concursu roboratus, poterit ex humano motivo amplecti supernaturales veritates, auscultata Evangelii praedicatione.

7. Quid si de perfectissimo illo loquamur assensu, quo veritatibus supernis ex divinae revelationis motivo obsecundari tenemur? impar est ei eliciendo lapsus homo speciali non suffultus auxilio.

8. Potest homo lapsus bonum aliquod ordinis naturalis elicere, unico instructus praevio generali adiutorio, quod et speciale sano aliquo sensu appellare licet.

9. Humanae naturae peccato primi Parentis foedatae vires, omni reparantis gratiae praesidio orbatae, ad Deum super omnia efficaci, et ut loqui amant Theologi, adfectivo amore prosequendum imbelles sunt, prorsusque impares.

10. Non naturalis, sed supernaturalis est ordinis gratia infirmam naturam sanans, et roborans, quam ad dilectionem Dei eliciendam exigimus summo-
pere necessariam.

11. Universae, qua latè patet, naturae praecepta exequi nequibit homo lapsus, ni praecipuo sanantis gratiae subsidio foveatur.

12. Corruptus homo, gravique crimine implexus sibi non poterit lethalibus omnibus peccatis, cunctisque adversus naturae legem tentationibus temperare, quin particularis gratiae iuvamine decoretur.

13. Candida iustitiae veste decoratus infirmus homo, venialium cunctorum peccatorum pugnam haud poterit perfecta victoria diu superare, nisi speciale ei adfuerit praesidium.

14. In eos tanquam in offensionis petram impingimus, qui singulari hoccine privilegio B. V. M. exutam, ore nimis duro ausi sunt pronunciare.

15. Omnibus, quae circa vulgatum, notissimumque effatum: *Faciēti quod in se est, Deus non denegat gratiam*; à Theologis adhibentur expositionibus valere iussis; uni quam tradit D. Ang. manus victas libenter damus, in illius verba iurantes.

16. Mortalium cuique vel piissimo praeter gratiam habitualement, ipsamque comitantes virtutes infusas, motionis supernaturalis favore opus est, ut in singulos pietatis actus procedat; hacque fultus eorum aliquos poterit praestare; omnes verò minimè diu prosequi, specialis gratiae adiumento destitutus.

17. Eos oppugnandos adgredimur, qui pulcherrimum perseverantiae sive diuturnae, sive brevissimae donum Dei esse magnum, singulareque beneficium, vel levissimè inficiantur.

18. Specialis haec gratia ea omnia complectitur gratiae tum sufficientis, tum effi-

efficacis auxilia , quibus misericordiarum Pater electos suos in aeternae salutis consecutionem veluti manuducere indesinenter incumbit.

19. Nobis perspicuum , apprimeque notum , sanctificantem gratiam ad genus qualitatis spectare permanenter animae inditae.

20. Gratiam esse aliquam naturae divinae participationem , consona est omnium Theologorum doctrina : ast quonam sensu id intelligendum veniat , acriter inter illos disputatur : nos pro formali , et physica participatione fortiter dimicabimus.

21. Verisimilior mihi est , longèque probabilior illorum opinio , qui praeclarum caritatis donum à gratia sanctificante realiter secerni debere tuentur.

22. Non aliqua potentia , sed ipsius animae essentia stabile est gratiae sanctificantis domicilium.

23. Admittimus , totisque votis amplexamur praeter efficacem , sufficientem gratiam , quae in hoc naturae corruptae statu ad operandum potentem reddat hominem.

24. ; Autumarisne gratiam hanc sufficientem , quam totis viribus adserendam suscipimus , alio à nobis , quàm quo à Thomisticis , accipi sensu ? deciperis profectò.

25. Cum auxilii sufficientis appellationem sortiatur id omne , quo pientissimus Deus nobis adest , ut salutare opus efficere valeamus ; fluit inde , non aliquid indivisibile , sed plurima , eaque praeclara dona praeseferre.

26. ; Undenam gratiae mirabilis illa obvenit efficacia , qua vel durissimorum lapidum Deus impetit duritiem , eosque in dilectissimos Abrahae filios convertere solet ? en gravissima difficultas , quae nobilissimos iam diu disiunxit Theologos : nos qui illibatam SS. Aug. et Thomae doctrinam venerari gloriamur , gratiam ab omnipotentissima Dei voluntate , plenissimoque eius dominio sortiri effectum , totis lacertis vindicare adnitemur.

27. Nec adversariorum censurae nobis pertimescendae , quos turpissimam Lutheranae , Calvinianaeque obcoenitatis notam Scholae nostrae inurere non pudet : nugae etenim haec sunt , naeniaeque , quibus iam penè morituri cantillant.

28. Haud plus ceteris audiendus Livinus de Meyer , dum per summam iniuriam Systema nostrum Iansenianam redolere insaniam , propalare non dubitat.

29. Neque ullum in creatis reperies agens , quantacumque perfectione ornari contingat , cui physica , eaque principalis Divinae gratiae effectio competere possit.

30. Non moraliter tantùm , vique institutionis Divinae , sed etiam physicè , suiue natura actus liberi arbitrii Dei gratia excitati ad illam disponunt.

31. De dispositiva virtute solummodo haec volumus intellecta , omnem enim ab actibus humanis Divinae gratiae excludimus efficientiam.

Iustificatio , et meritum.

ECCLESIAE DOGMATA.

1. Despiciatù potius , quàm seria confutatione dignos censemus haereticos , qui in iustificatione impij peccata non verè deleri , sed radi tantum , tegi , et in culpam non imputari existimant.

2. Stultè , insipienterque loquuntur , qui docent , homines iustificari vel sola imputatione iustitiae Christi , vel sola peccatorum remissione , exclusa gratia , et caritate , quae in cordibus hominum per Spiritum Sanctum diffunditur.

3. Neque perfecta , omnibusque numeris absoluta iustificatio cum sola fiducia illa , qua fidimus crimina nobis deleri per Christum , potest consistere.

4. Fidem igitur illam prorsus necessariam dicimus , qua veritatibus à Deo revelatis constanter adsentimur ob Dei testimonium falli omnino nesciam.

5. Fide sola , sive Novatorum futili quidem , cassaque ; sive ea , quae vera ; Christianaque est , nequit peccator iustificationis gratiam adipisci.

6. Implacabili odio eorum errorem prosequar , qui Scripturarum suffragio turpiter abutentes , factum iam hominem à sordibus mundum , Deique amicū , ab ipso vitam aeternam , vel aliquid aliud promereri posse , inficiantur.

7. Tanquam absurdam , risuque dignam illorum cavillationem traducimus ; qui gratiae , et caritatis augmentum sibi iustum hominem de condigno mereri non posse , hortari conantur.

8. Eousque devenit haeticorum amentia , ut finalis perseverantiae donum posse aliquem condignè mereri effutierint ; at mentiuntur profectò.

SCHOLAE POSITIONES.

1. Vel in ipso iustificationis instanti impio infunditur gratia , condonanturque peccata ; quid si dispositiones attendas , quibus ad eam communiter praeparatur ? nonnihil temporis insumi putamus.

2. Sex actus , quibus ad iustificationis gratiam pedetentim disponitur peccator , exactè enumerat Tridentinum , quos ordine recensere , nostri muneris erit.

3. Impii iustificationem etsi mirabilem , miraculosam tamen dici non debere noscitur quisque.

4. Calvinus , cui sacratiora respuere solemne , meriti nomen fastuosissimum vocat : verùm ineptissimum huncce blateronem , tamque in sacris litteris planè hospitem demonstrare , haud nobis erit operosum.

5. Duplex dumtaxat agnoscimus meriti genus , quorum unum de condigno , alterum de congruo : has notiones tradere non pigebit.

6. Exigimus conditiones nonnullas , quibus opus meriti induat rationem : ec-cillas : ab homine viatore , in iustitiae statu , liberèque operante opus bonum procedere debet , et in obsequium Dei referri , à quo in praemium ordinetur.

7. Homini verè iustificati opera è gratia inhabitante , atque movente pro-

fec-

fecta , nedum de congruo , sed et de condigno propriè , et intrinsecus aeternam vitam apud Deum promerentur.

8. Nullius , sive infusae , sive adquisite virtutis actibus poterit meriti via coelestem vitam homo iustus sibimet comparare , si virtualementem saltè caritatis eis adimas influxum.

9. Hominum nullus primam gratiam habitualementem de condigno , aut de congruo strictè , prout loqui expetunt Theologi , poterit mereri.

10. Nulli etsi iusto , si Christum demas , concessum existimamus alteri primam condignè promereri gratiam : posse verò de congruo hominem iustitia praeditum , non ibimus inficias.

11. Homo peccatis immersus , miserentique Dei favore ad poenitentiam vocatus , amissam gratiam iterum potest mereri merito non de condigno , sed congruo largè accepto.

12. Fluxae huius saeculi voluptates , in quas homines ultra rationis metam abripiuntur , meriti non induunt rationem ; secus prout salutis consecutioni aliquatenus iuvant.

Fides.

ECCLESIAE DOGMATA.

1. Scripturam Sacram , vel privatam cuiusque spiritum regulam esse idoneam ad discernenda revelata à non revelatis , arbitrantur A catholici ; at falli summopere , ambigit Christianorum nullus , apud quos certum , soli Ecclesiae ius id competere.

2. In immensam stultitiae , ac iniquitatis voraginem praecipites ruunt haeretici , dum fidem supernaturalem omni tempore adultis dicunt necessariam non fuisse ad salutem.

3. Inconsideratè loquuntur , egregièque desipiunt quotquot fidem sub speciale praecipuum secundum se non cadere , sed per accidens tantum , alteriusvè ratione existimant.

4. ? Satis erit fidei actum semel in vita elicere , vel Sanctissimae Trinitatis , et Incarnationis mysteria semel credidisse ? haud sufficit.

5. Adultis omnibus necessarium fuit omni tempore necessitate medii ad salutem haec duò explicitè credere , Deum videlicet esse auctorem gratiae , et gloriae remuneratorem.

6. Nefas semper est , susceptam denegare fidem , falsamve exterius profiteri , et si mors ipsa , teterrimum malorum omnium imminet.

7. Qui à potestate publica interrogatur , fidem ingenuè confiteri tenetur : Igitur tacere ut peccaminosum per se damnamus.

8. Supernaturali fide ne utiquam exiit homo , etiamsi caritate destituatur , modò infidelitatis scelere non inquinetur.

9. Infidelitas purè negativa in his , quibus non est Christus praedicatus , peccatum non est.

SCHOLAE POSITIONES.

1. Fidem, quae virtutis Theologicae praeferat dignitate, in huncce modum praeunte Apostolo exornamus: *Sperandarum substantia rerum argumentum non apparentium.*

2. Aequata est huius virtutis materies omnes, quae à Deo revelantur, nobisque ad credendum debite proponuntur, veritates: formalis verò illius ratio summam Dei respicit veracitatem.

3. Eis haudquaquam adstipulamur, qui in fidei analisi ad Ecclesiae testimonium ultimò deveniendum arbitrantur; nobis quippe intimè persuasum, unicam Dei revelantis auctoritatem motivum esse formale revelatis obsecundandi.

4. E nostris finibus eos eliminamus, qui vel per se, vel per alium, extraordinaria potentia considerata, Deum posse mentiri, falsumve proferre adstruere non dubitant.

5. Deducitur inde, necessariaque fluit sequela, ex fidei habitu elici haud posse falsum assensum, aut in eum posse credentem propelli.

6. Inevidentia, et obscuritas fidei obiectum debent comitari: nolim tamen credas, formalem illius efformare rationem, sed conditionem solummodo requisitam.

7. Tot miris, inconcussisque monumentis clarescit Christiana Religio, ut vel in procacissimos cavillatores evidentem illius credibilitatem sustinere possimus; delectarisne eorum auditu? tibi iucundam texemus orationem.

8. Nullus adultus, Evangelio sufficienter propalato, sine explicita Domini-
cae Incarnationis, ac SS. Trinitatis fide aeternam poterit adipisci salutem.

9. Eorum longè accommodatior adparet opinio, qui utriusque mysterii explicitam fidem in hac legis Evangelicae luce non modò ad aeternam salutem, sed et ad iustificationem omnino requirunt.

10. Mortalis maculae reos diiudicato fideles, ni Dominicam orationem, Decalogi, et Ecclesiae praecepta, suscipienda necessariò sacramenta, et Symbolum Apostolorum quoad substantiam saltem, et praecipuas circumstantias optime calluerint, atque expressè profiteantur.

11. Rationis compos adultus, simul atque credenda, assentiendique motiva, quantum illius intellectui sat est, proponuntur, vi et ex ratione affirmantis praecepti adstringitur fidei veritatibus collum reverenter submittere.

12. Huiusce precepto indirectè ducuntur fideles, quoties aliud urget, quod sine illa nequit executioni mandari.

13. Vehementer subirascimur illis, qui supernaturalibus veritatibus adsentiri intellectum existimant, pia dempta voluntatis motione.

14. Peccato conspurcabitur quisquis verba, ritus, vestimenta, aliaque huiusmodi usurpet, modò aut superstitionem redoleant, aut iis veram occulat Religionem, simuletve falsam.

15. Innoxios, et à quovis peccato omnino immunes constantissimè praedicamus

mus Christianos , vel etsi Episcopi illi sint , qui persecutorum furore perterriti, latitare coguntur ; cave tamen , ne inde fidei , aut fidelium causa periclitetur.

16. Fides cognitionem quamcumque naturalem etsi evidentissimam superat certitudine.

17. Caritatem fidei esse formam , accidentalem tamen , et externam , puto, qui neget , futurum esse omnino neminem.

18. Rectissima igitur est , rationique accommodata trita , vulgarisque apud Theologos fidei in formatam , et informem distinctio : haec verae virtutis obtinet characterem , elumbis tamen , et imperfectae.

19. Fide supernaturali decoratos agnoscimus Angelos ante confirmationem, et lapsum , necnon primos Parentes ante peccatum.

20. ; Exquirisne in Doemonibus , damnatisque hominibus infusam , supernamque fidem ? oleum profectò , operamque inutiliter perdes.

21. Orbantur supernaturali fide Beati , dulcissima Dei visione fruentes : in animabus verò , quae in purgatorio digna meritis luunt , equidem reperitur.

22. Eos errasse certissimè putamus , qui sive actuaalem, sive habituaalem fidem in haeretico vel uni articulo pertinaci animo obluctanti adinvenire se posse speculantur.

23. Iuris Ecclesiastici habita ratione , interdictum penitus invenimus omnibus laicis , quantacumque polleant sapientia , cum infidelibus de fidei controversiis inire disputationem.

24. Miserae caecitatis tenebris irretiti infideles , qui fidem nunquam acceperre , compelli non possunt ad eam religioso animo amplectendam ; ; quid si fidei propagationi temere audeant obsistere ? eorum poterit coerceri petulantia.

25. Infidelis verò , qui in fidei catholicae nomen quondam iuraverit , adigi quamoptime poterit , vel si necesse sit , severissimarum poenarum impositione, ut quae promisit , exsolvat.

26. Fidei opposita haeresis ita communiter diffinitur : *Pertinax error fidei manifestè contrarius in eo , qui Christi fidem in veritate professus est.*

27. Haeresis labe pollutum absque erroris timore iudicamus eum , qui deliberato , ac positivo dubio circa aliquem fidei articulum sufficienter ab Ecclesia propositum dubitaverit.

28. Inter poenas , quibus haeretici plectuntur , spirituales aliae sunt , corporales aliae : primas neque internus solum , aut externus haereticus promeretur.

29. Internus haereticus statim ac suum virus exterius distinctè , et assertivè protulerit , nullo etiam audiente , excommunicationis vinculo innodatur.

30. Absque ulla haesitatione sustinemus , iurisdictionem retinere , validèque absolutionis beneficium impendere posse vel manifestè haereticos , modò eos nominatim nondum denunciaverit Ecclesia , nec sponte sua ab illius sinu discesserint.

31. Apostatam à fide vocamus eum , qui omnis fidei iugum excusserit ; à Religione , qui eam , quam voluntariè professus est , deserit , non obtenta superiorum licentia , et animo non redeundi ; ab ordine sacro denique , qui eo

contempto , ad statum saecularem sine legitima dispensatione retrocedit.

32. Blasphemiam duce Ang. Praecep. sic diffinire lubet : *Cordis , vel oris locutionem , qua per modum convitii dicitur aliquid divinae bonitatis derogans excellentiae.*

33. Receptam , communemque illius in haereticalem , et non haereticalem partitionem et nos aequo animo amplectimur , atque explicare promittimus.

34. Blasphemiae peccatum ex genere suo est sanè gravissimum , nec ob materiae levitatem veniale nonnumquam evadere potest.

Spes.

ECCLESIAE DOGMATA.

1. Ex fide oritur spes , quam manere dicimus in iustis viatoribus , et fidelibus , qui , licèt impiè , sceleratèque vivant , misero tamen desperationis , vel praesumptionis crimine non maculantur.

2. Quorundam nebulonum eò devenit audacia , ut à caritate spem nullatenus secerni posse existimarent , quorum insolentiam Apostolica Sedes coercuit.

3. Iocis , ac facetiis ludunt Novatores , dum Theologicae Spei necessitatem è medio tollere contendunt : A nobis procul exulent.

4. Meritò Vaticano fulmine illi fuerunt protriti , qui servilem timorem substantia sua bonum , utilem , honestumque admittere renuerunt.

SCHOLAE POSITIONES.

1. Spes firmissima illa anchora , cui , ne in tot humanae vitae fluctibus mergamur , debemus inhaerere , in hunc modum aptè , concinnèque describitur : *Virtus divinitus infusa , per quam certa cum fiducia nostrae salutis , et aeternae vitae bona auxilio divino obtinenda expectamus.*

2. Eorum partes tuemur , quibus spes virtus est verè Theologica , à fide et caritate distincta.

3. Rapitur in Deum sperantis animus , quatenus omnipotens est ille , simulque mitissimus pater offerens , praebensque auxilia , quibus coelestem patriam nobis promissam adsequi possimus ; enque formale , ut adpellant , spei obiectum.

4. Materiale verò spei obiectum Deus est ipse , immortalium animorum requies sempiterna ; media item , quae ad hunc felicissimum terminum viam nobis sternunt , parantque.

5. Aeterna morte mulctatus impius tam firmiter retinet spem , quam cribrum aquam.

6. Purgantium animae vera supernaturali spe sunt revera exornati.

7. Haud fas est idem prorsus de beatis spiritibus pronuntiare ; bonorum namque coelestium gaudio inebriati , omnem penitus nesciunt spem , vel etiam circa corporis gloriam , quam absque ulla spectant formidine.

8. Maxima , eaque non uno roborata praesidio est sperantium certitudo , ac

fiducia ; salutarem nihilominus timorem minimè excludit : huius quadruplicem speciem data occasione delibabimus.

9. Duos scopulos , qui sperat , diligentissimè cavere tenetur , desperationem nempe , et praesumptionem : illa teterrimum crimen est ; non tamen semper cum haeresi indivulsè connexa.

10. En , quam tradimus , praesumptionis descriptionem : *Inordinata confidentia in divina misericordia.*

11. Praesumptionem gravissimum esse scelus , communi Theologorum consensione in tuto reponitur.

12. Absit , ut praesumptione , semper spem eradicare , aut infidelitati coniungi suspicemur.

Caritas.

ECCLESIAE DOGMATA.

1. Penitus somniare censendi sunt illi , qui caritatem ipsam esse Spiritus Sancti personam contendunt ; Scriptura siquidem , traditioneque docemur ipsius esse donum in hominum cordibus diffusum.

2. Caritatem sine termino augeri non posse in hac via , Beguardi , et Beguinae docuerunt , quos , diffiniente oppositum Ecclesia , obmutescere necessum est.

3. Clarissima Scripturae , Sanctorumque Patrum voce ad nos equidem pervenit , amitti posse habitualement caritatem.

4. Tam est implacabilis , et perpetua cum peccato caritatis inimicitia , ut ad lethalis cuiuslibet praesentiam virtus ista radicitus corruat.

5. Facessant tandem aliquorum deliria , illudque omnium animis altius maneat infixum , hominem aeternae mercedis intuitu Deum diligere , ipsique servire posse.

6. Operiantur confusione protervi , scelestique illi , qui affectu , interiorique actu Deum O. M. non diligendum esse , iniquè et stultissimè putarunt.

7. Primum , omniumque maximum amandi Deum praeceptum , quandoque ex se , quandoque ex alterius observatione ita viatores obstringit , ut qui fregerit , ni resipiscat , perpetuò ab ingressu in Patriam arceatur.

8. ; Foedabiturne mortali sorde , qui caritatis actum semel tantum in vita eliciat ? Negare audent nonnulli : ast ludicrum prorsus est , ac desperatae causae apertissimum argumentum.

9. Illorum quoque opinationi tanquam à Catholica veritate alienae valere dicimus , qui ne singulis rigorosè quinquennis caritatis erga Deum praeceptum obligare arbitrantur.

10. Illud certum , ac citra omne dubium ex nostrae Religionis fundamentis diffinimus , proximos scilicet esse caritatis amore diligendos.

11. Caritate quoque iubemur inimicos amore complecti , homines enim sunt , unde nihil detrimenti à nobis illis nec optandum , nec derivandum.

Ad-

Addam : interiorum dilectionem , exteriorumque beneficentiam illis praestare tenemur.

SCHOLAE POSITIONES.

1. Caritas virtutum omnium splendor , singulareque ornamentum sic egregiè diffiniri valet : *Virtus divinitus infusa , qua Deus propter se , et proximus propter Deum diligitur.*
2. Praestantissima haec virtus iucundissimam , summèque delectabilem Deum inter et hominem constituit amicitiam.
3. Formale caritatis obiectum in divina bonitate , prout ex sese in sui rapit amorem , supernoque lumine attingitur , à plerisque reponitur : perbellè quidem , et appositè.
4. Eorum etiam retinemus sententiam , qui in divina bonitate , non prout haec ab attributis virtuali distinctione secernitur , sed prout omnes Dei perfectiones transcendit , motivam caritatis rationem constituunt.
5. Eiusdem speciei caritatem iudicato , qua in Deum propter se , proximum verò propter Deum afficimur , tibi que nostra obtinebis consonare sensa.
6. Ceteris virtutibus perfectior , excellentiorque caritas censi debet , idque non solum in ordine morali , sed etiam in physico.
7. Dictitantes aliquem esse caritatis , vel etiam remissae actum , sive elicitus hic sit , sive imperatus , cui novum meritum de condigno , specialeque ius ad gratiae , caritatis , quin et ipsius gloriae incrementum non respondeat , absque ulla haesitatione refellimus.
8. Habitualement caritatem directè posse attenuari , nullo pacto capere possumus ; quamvis indirectè diminui existimemus.
9. Caritatis praecepto adstringitur homo , non seipsum dumtaxat , sed proprium corpus singulari prosequi benevolentia , aeternaeque beatitudini adipiscendae totis viribus insudare.
10. Vel immanissimos quosque peccatores caritatis amore arctissimè amplexari , eorumque adpetere felicitatem tenemur ; non tamen scelera , quae aspernari , animoque insequi pertinaci , res est proculdubio honestissima.
11. ; Ecquis placido animo impudens ferre poterit eorum commentum , qui hocce praeceptum in lege veteri minimè viguisse cavillantur ? nisi qui humanam posuerit naturam , omnino nullus.
12. Communia dilectionis , et caritatis officia inimicis denegari non debent , specialia verò exhibere , ut plurimum non adstringimur.
13. Deum amore super omnia , et prae omnibus obiectivè , et appetitivè prosequi obligatur homo ; praevaricatae ergo legis reus existimandus , qui rebus omnibus , etiam sibimetipsi illum non praeponit.
14. Qui intensiori , sive naturali , sive supernaturali amore proximum , quàm Deum complectitur , tanquam criminis reus postulandus non est.
15. Caritatis ordo revera exigit , ut nos ipsos potius , quàm proximos diligamus.

Pro-

16. Proprii corporis commodo proximum in dilectione praeferre, à nobis postulat ipsa caritas.

17. Cum vitae corporalis dispendio proximo gravissimè periclitanti succurrere adstringimur, modò aeternae illius saluti prodesse valeamus.

18. In gravi necessitate proximo dumtaxat constituto subvenire obligantur solummodo ii, quibus saluti gregis invigilare committitur.

19. Quid si de communi proximi necessitate quaestionem velimus agitari? in arena id resolvemus.

20. Praeceptum caritatis violare censendus sanè non est, qui sibi secundum carnem propinquiores prae melioribus extraneis, modò cetera sint paria, ardentiori prosequitur benevolentia.

21. Affectu carnis nobis coniuncti in iis, quae naturam spectant, cunctis aliter copulatis sunt anteponendi.

22. Non una ratione adigimur, ut amici dilectionem ex se, ceterisque paribus, meliorem esse, magisque meritoriam, quàm inimici pronuntiemus.

23. Errant quammaxime, qui hominem aliquoties actiones suas relatione, ut aiunt, virtuali explicita in Deum ut ultimum finem aut naturalem, aut supernaturalem, quoquo ipsius menti irradiatur pacto, dirigere teneri inficiantur.

24. Inculpatim operabitur homo, eiusque actio peccati pravitate haud foedabitur, etsi non quoties deliberatè agit, opus suum in Deum propter se dilectum relatione virtuali explicita referat: satne erit relatio virtualis implicita? ita quidem.

Mirabilis Redemptionis nostrae oeconomia, Sacratissimumque Incarnationis Mysterium.

ECCLESIAE DOGMATA.

1. Iam est hora de somno surgere Iudaeos, vicit namque Leo de tribu Iuda, desiderium collium aeternorum iam pridem nos visitavit oriens ex alto. Apertius: Messias sacris praenuntiatus oraculis, Patriarchis promissus, ab omni Protoparentis afflicta sobole expectatus iam dudum advenit: ergo non amplius illi ducem suum praestolentur.

2. Si caecitatis velum dirumperent Iudaei, sacrorumque Vatum consulerent oracula, absdubio et suam viderent inscitiam, et Christum Iesum non purum hominem, sed et Deum cognoscerent.

3. Tamquam fabulatores nugivendos putida commenta vacuo cerebello fabricantes carnales Iudaeos traducimus, qui Messiam, virum garriunt manu fortem, ac bellatorem futurum, qui ingentibus, quos ducet, praesit exercitibus, et à temporali, qua premuntur, servitute eos reddat immunes; illum enim humilem, pacificumque fore, et spirituale bellum ab eo gerendum, ex ipso veteri Testamento probari posse, equis, velisque contendimus.

4. Abutuntur ulterius patientia nostra: Messiam quem bellatorem, copia-

rumque ductorem comminiscuntur , immortalem quoque effutiunt : sed qui ita desipiunt , vel Scripturas non salutasse , vel inter illas oscitare , facili negotio demonstrabimus.

5. ; Ast quid mens chimaeris pasta non parturit ? Se solos à Messia vocandos , beandosque miserè gloriantur Iudaei : Ovent quidquid velint ; iactatum eorum triumphum cecidisse , sacra convincit pagina , iuxta quam certum , gentem densioribus idololatriae tenebris immersam Deum verum , depulsis procul erroribus , et agnituram , et adoraturam.

6. ; Crederes ? Leviticum Sacerdotium perenniter duraturum pessimè autumant Iudaei : nobis enim manifestum , Iesum Mariae filium ablegasse illud , novumque induxisse.

7. Apparuit veritas , quae umbram fugavit : verbo : Mosaica lex est sublata , novaque instituta : ; Ecquis autem haec peregit ? Iesus Nazaraenus.

8. Nestoriani homines vaferrimi , ac Diaboli organa geminas Christo Domino personas affingunt. ; Quid nos Catholici ? Proficiamus merito confessionis , unam tantum in Christo asserentes personam , hancque Divinam.

9. Virginum decus Maria adpellationem *Deiparae* promeretur ; videsis hinc , quàm est Nestorii sacrilega lingua , crassaque minerva , hanc veritatem persumdare conantis.

10. Eutyches ardentiori zelo Nestorium adversus dum in Christo geminas fugiebat admittere personas , unicam adstruxit naturam : sed incidit in scyllam , cupiens vitare caribdim.

11. Bellum Christi humanitati inferunt Gnostici scientia tumidi , ei tribuentes aëreum tantum , ac umbratile corpus ; quibuscum caecutit Marcion , et delirat iners scriptor Apelles : sed Divinum Verbum corpus assumpsisse verum , Catholicis omnibus est intimè persuassum.

12. Exitere , (; nefas horrendum !) qui Iesu-Christi corpus nec humanum , nec de Virgine reapse efformatum , sed coelesti quadam subtili materia compactum , quod ad nos per Mariam , veluti per rimam , ac fistulam pervenerit , plenis , ac crepitantibus buccis praedicarent. ; Quis talia loquentes sine nausea , et molestia poterit tolerare ?

13. Rationantem animum , partem humanae naturae nobiliorem adsumpsit Verbum Divinum , sibique hypostaticè copulavit. ; Mirum quantum in hanc rem Appollinaris fuerit debacchatus !

14. Christum Dominum rationalis animae facultatibus , intellectu scilicet , ac voluntate ex heterodoxorum numero expoliant nonnulli: En portentum , in quod impingere coëgit eos malè sana cordis vafrities , et altissima mentis caligo.

15. Vel prima Catholicae Religionis nescit fundamenta , qui omni prorsus abiecto pudore , impollutum , nulloque sive originali , sive actuali peccato commaculatum Iesum non fateatur.

16. Stipitibus , et fungis eos accense , qui luculentissimum turpis allucinationis exemplum prodentes , idiomatum communicationem in Christo admittere detrectant contra Scripturae Sacrae testimonia , Sanctorumque Patrum unanmem vocem.

Tur-

17. Turpiter deluduntur, supinosque ac coecos sacrarum Scripturarum interpretes sese produnt Monothelitae, duas in Christo Iesu voluntates, Divinam scilicet, et humanam agnoscere recusantes.

18. Fatendum et id, quod consequens: Duas nempe reperiri operationes in Christo, nec posse unam dumtaxat propugnari: improbos haereticorum conatus, quibus lucidissimae huic veritati nebulas offundere moliuntur, vanos prorsus, et irritos ostendemus.

19. Constans est, et certa Orthodoxorum sententia, duplicem scilicet illam voluntatem mirabili copulari concordia: unde qui earum contrarietatem nobis persuadere tentant, surdis profectò loquuntur.

20. Fuisse Christo liberum arbitrium et à vi cogente, et à trahente necessitate inficiatur Lutherus, quàm tamen inscite, quàmque imprudenter, neminem, vel stolidiorem latet.

21. Iesum Christum verè, ac propriè suis pro nobis operibus meruisse, impio quodam, diroque conatu abnuunt inquinatae conscientiae homines: quos ego cachinnos, nisi res esset ploratu digna!

22. Cur ergo Verbum Patris mortalitatem nostram adsumpsit, cur è cruce pependit, nisi ut profuso pretiosi sanguinis lytro nos à captivitate reduceret, eiiceret principem tenebrarum, diriperet inferni spolia? Diripuit igitur, eiecit, reduxit; verbo, pro nobis satisfecit.

23. Nihil frequentius in ore habent Catholici, quàm quod redemptio nostra pretio oblato sit peracta, nonque sola Iesu Christi praedicatione, et exemplo. Adversatur quispiam? barbam ei velle.

24. Quibus, quaeso, rationibus suadebunt Erellius, et Wolchellius, Christum Dominum non esse Sacerdotem, et hostiam simul pro hominum peccatis oblatam? nullis sanè.

25. Iesus Christus nequaquam adoptivus Dei filius adpellari valet.

26. Christum Dominum *latriae* cultu adorandum esse, unanimis, concorsque est Catholicorum doctrina, cui refragari summum foret nefas.

27. Divinitatem Christi, sanctissimamque eius humanitatem uno, eodemque *latriae* cultu adorare debemus: garrulatores id inficiantes vapulabunt.

28. Qui Sanctos sacro cultu, et honore maiore, quàm sit civilis, eoque, qui supremo Domino debetur, inferiore prosequi licere negaverit, prefracto nititur sceptro.

29. Apud nos fixum est, ac extra dubitationis aleam constitutum, Sanctorum Reliquias in veneratione habendas: Dallaei insaniam et retegimus, et irridemus.

30. Suis mendaciis nos pascent nusquam, qui nec Angelos, nec cum Christo Sanctos regnantes invocandos fabulantur; cum penes nos ratum, hoc ceu valde utile, approbatum à Religione, Dei verbo quàm maximè suffragante.

31. Errore spisso admodum labuntur, ac liberales naeniarum venditores sese produnt Iconomachi, dum in cultum, qui Christi, Sanctorumque imaginibus exhibetur, ceu illicitum insurgunt.

Foe-

32. Foenum in cornu habet Paulicianorum aberratio obstruentium, Dominicam Crucem, in qua Salvator noster pependit, et quamlibet eius effigiem fidelibus non esse religiosè colendam.

33. Altissimis tenebris mentem immersam haberet, atque in lucenti veritate penitus aberraret, qui imaginum Dei, Angelorumque cultum sanctissimum esse negaret.

SCHOLAE POSITIONES.

1. Sacratissimum Incarnationis mysterium ceu chimaericum, contradictionemque undequaque ducens traducunt Ethnici; sed quibus momentis? iis certè, quae unico ictu dissipantur, atque in fenum abeunt.
2. Altissimi huius miraculi existentiam ad oculum evincere, humanique tantum ratiocinii forcipe rem hanc summam discindere audes? insanies profectò, consequerisque nihil.
3. Humanae carnis assumptione haud exiguum splendorem Angelis, hominibus, imò toti universo attulit Divinum Verbum.
4. Congruenter universi tenebras sui adventus luce dissipare placuit aeterno Verbo non statim ab Adam casu, neque in Mundi exitu; sed ante hunc in temporum plenitudine: cave ergo, ne hoc Divini concilii opus in reprehensionem adducas.
5. Quibusdam filii sui Incarnationem patescere voluit Omnipotens: quos felici hac sorte volumus donatos, audies in palaestra.
6. Divini Verbi Incarnationem humani generis reparationi necessariam, ut aiunt, simpliciter fuisse, nequaquam concedimus; perutilem tamen esse, ac summe proficuum, iudicata res est.
7. Purus homo nullus, quibuslibet gratiae donis ad cumulum exornatus, condignam sive pro suo, sive pro alienis delictis exhaustiendis satisfactionem rependere valuit: ad id ergo necesse fuit, Dei filium mortali amictum carne in orbis lucem sese manifestare.
8. Venialis tamen peccati turpitudinem poterit gratiae sanctificantis privilegio decoratus homo, digna abstergere satisfactione.
9. Bona adversariorum pace, omniumque Thomistarum praesidio suffulti, statuere audemus, unica generis humani lapsi reparandi causa Incarnationem esse peractam; unde non stante primaevae praevericationis culpa, praesentis decreti vi, nullo prorsus modo aeternum Verbum carnem induisset.
10. In lucem prodiit Salvator noster, ut peccati originalis, et actualis sordes lavaret: illud praecipuum eius adventus constituit motivum.
11. Cordis, gutturisque nostri vocibus adserendum, Christum personam esse compositam ex duabus naturis, Divina scilicet, et humana adinvicem unitis, arctissimèque copulatis.
12. Nec de condigno, nec de congruo admirabile humanae naturae cum Divina commercium à Christo promeritum fuisse censemus.

Nec

13. Nec magis nobis arridet illorum opinio , qui aut in SS. Patrum veteris testamenti operibus , aut in intemeratae Virginis praeclarè gestis aliquid , cui eximium , amplissimumque Incarnationis beneficium exactè respondeat , credunt adinvenisse.

14. Ast si ad meritum de congruo rem totam redigamus ; Beatam Virginem, antiquosque iustos incarnationem hoc pacto potuisse mereri non diffitemur.

15. Incarnationis miraculum tota Trinitas fuit executata ; nec creaturarum aliquam quantumvis perfectam adinvenire licebit , quae ad huius operationis dignitatem evehi queat.

16. Aptè mihi loqui videntur , qui humanae naturae coniunctionem ad Verbum neque ut instrumentalem causam Beatam Virginem operatam fuisse propugnant.

17. Creatae personae alienam naturam terminare repugnat, cum id ius Divinae personae unicè reservetur.

18. Subsistentia relativa , qua Patris verbum singularis persona à reliquis duabus constituitur distincta , formalis est , atque proxima ratio humanam naturam terminandi.

19. Humanae naturae , quam sibi aeternus Dei filius adsumpsit , potuerunt et reliquae Sacrosanctae Trinitatis personae hypostaticè copulari : ; cur ergo ille, non haec , plenam misericordiae provinciam suscepit ? rationem si quaeras evidentem , nullam invenies ; si verò congruentem , non unam reddam.

20. Haudquaquam implicat unam , eandemque personam Divinam plures alienas naturas per hypostasim adsumere.

21. Nihil dedecoris , absurdique nihil accidisset Divino Verbo , si quaelibet natura completa ab illo fuisset terminata : congruentius tamen humanam naturam sibi hypostaticè univit.

22. Verum , naturalemque sanguinem sibi Divinum verbum hypostaticè non copulasse , placuit magnopere Durando ; nos id tamen penitus improbamus.

23. Eodem prorsus momento animam , corpus , atque humanitatem sibimet assumpsit Divinum Verbum : eos ergo , quibus nonnihil temporis fluxisse placuit , procul abiicimus.

24. Si verò rationis momenta, ordinemque intentionis discernere libeat; haud dubitamus adserere , prius natura assumptam humanitatem , quàm partes illius.

25. Beata Christi humanitas formaliter redditur sancta per substantialem unionis gratiam.

26. Christi animam non per ipsum unionis modum , neque per ipsam personalitatem , prout personalitas est , sed per divinitatem formaliter sanctificari, gratamque effici profitemur.

27. Eos penitus explodimus , et exhibilamus , qui Christum gratia habituali orbatum putarunt , hanc illi superfluum temere iudicantes.

28. Beatissimam Christi animam ab ipso conceptionis instanti pretioso gratiae habitualis dono exornatam praedicamus : hypostaticae tamen unionis physicam proprietatem non fuisse , fatendum nobis est.

29. Si fidem , spem , atque poenitentiam demas , omnibus ceteris supernaturalibus virtutibus , sive Theologicis , sive moralibus per se infusis decoratam cernimus pulcherrimam Christi animam.
30. Arctissimo foedere , mirabilique perfectione cunctas virtutes naturales morales suae animae sociavit Christus.
31. Perpolivit quoque eum Spiritus Sanctus omnibus donorum suorum thesauris largiter effusis.
32. Nec Redemptori nostro defuerunt gratiae cunctae , quae gratis datae dicuntur.
33. Ei sententiae caput aperimus , quae Christum omni gratiae plenitudine abundasse adseverat. ; Quid , si habitualement physicè consideratam infinitam iudicet ? citò recedimus.
34. Quotquot rectam ducimus existimationem , profiteamur oportet , Christum dominum ut hominem super universam Ecclesiam capitis dignitate , atque excellentia fulgere.
35. Haud temere pronuntiamus , sub Christo tamquam nobilissimo capite contineri eos omnes , qui licèt candidam gratiae stolam amiserint ; fide tamen supernaturali adhuc potiuntur.
36. Praeexcelso hoccine privilegio destitutos agnoscimus primos Parentes felicissimo innocentiae statu perfruentes , quidquid opposita tueatur sententia.
37. ; Christum Angelorum celsissimum caput verè , et propriè adpellari veritas ? tua sit haec opinio , minimè nostra.
38. Nec tibi adsentior , si arbitreris omnia prorsus gratiae , et gloriae munera ex Christi merito fuisse derivata in Angelos ; cum probè norim , accidentales tantùm gratias ab illo fuisse mutuatos.
39. Si gratiam quaeris , à qua capitis dignitas in Christum proficiscitur ; scias volumus , nos id muneris gratiae habituali , prout unionis donum connotat , deferendum existimare.
40. ; Propriumne est Christo singulari capitis privilegio exornari ? ; Poteritne Lucifer Doemoniorum princeps sano aliquo sensu malorum caput adpellari ? iis omnibus resolvendis , si lubeat , aliquantulum morabimur.
41. Christus Iesus mortalium vitam degens , comprehensor simul extitit , ac scientia , qua Deum non per speculum , et in aenigmate , sed facie ad faciem intueretur , fuit sanè locupletatus.
42. Simul ac Verbo fuit humanitas copulata , hanc perfectissimam scientiam Christus fuit revera sortitus.
43. Ne gravem Christo irrogemus iniuriam , perfectiorem ei prae omnibus creaturis beatam quidem scientiam attribuimus , quin suspicemur , hac Deum comprehendere , aut ullo pacto comprehendere posse.
44. Per scientiam beatam Christo nota fuerunt , ultroque patuerunt in Verbo praesentia , praeterita , et futura cuncta : à veritate tamen toto ostio discedis , si de omnibus possibilibus quid simile opinaris.
45. Praeter beatorum scientiam Salvatori libenter infusam concedimus , qua

naturalia , et supernaturalia fuit cuncta rimatus , intimèque perspexit.

46. Ergo fateamur necesse est , Christum hac scientia latentes quasque cordis cogitationes , et futura contingentia altissima cognitione fuisse contemplatum.

47. Nec experimentalem scientiam usu , atque exercitatione comparatam ei possumus denegare , quin veritati gravissimum inferamus praeiudicium.

48. Christi animam in hac scientia et quoad actum , et quoad habitum novimus profecisse : ; ergone Angelos , aut homines agnovit Magistros ? procul à nobis tantum absurdum.

49. Excellenti operandi facultate praeditam fuisse Christi humanitatem , nullus tam bardus , qui audeat inficiari : Omnipotentiam tamen habuisse , nisi qui Dei , et creaturae iura miscuerit , concedet nemo.

50. Ei adstipulamur Scholasticorum numero , qui humanitati Christi , sive modò in coelo existentis , sive prius in terris vitam degentis mortalem , physicam instrumentalis causae gratiae , et miraculorum rationem adscribunt.

51. Nihil sanè voluit Iesus Christus absoluta , et efficaci voluntate per alios implendum , quod non fuerit executioni mandatum.

52. Ut redemptionis pretium consumaret Dominus Iesus , summopere conveniens fuit , ut nonnullis subiaceret defectibus : eos tamen minimè assumpsit , qui ex communi totius naturae peccato non derivantur , nec Incarnationis fini conveniunt.

53. ; Utrumne necessitate aliqua inductus , hos assumpsit defectus ? imò propria , eaque liberrima voluntate eos contraxit.

54. ; Numquidne Christus Dominus absolutè impeccabilis , quia comprehensor ? id extra litem positum reor. ; Anne etiam , quia unionis gratiam plenissimè possidebat ? id et firmissimè profiteamur.

55. Agnoscamus oportet , Christum expertem fuisse omnino concupiscentiae : omnem igitur penitus fomitem nescivit , sive in actu primo , aut secundo consideres.

56. Et corporalium , et animalium passionum extitit capax anima Christi , et utrasque pro nobis patientissimè tulit.

57. Sensibilis doloris , tristitiae , timoris , et irae adfectiones in se suscepit piissimus Iesus.

58. Nec omnem ab eo removeri volumus admirationem , si in experimentalem scientiam oculos coniecere placeat : secus verò , si Divinam , beatam , et infusam respiciamus.

59. Poteris absque erroris periculo hasce usurpare propositiones : *Deus est homo ; Homo est Deus* ; verae etenim sunt , atque propriae.

60. Locutiones istae : *Christus est homo Dominicus , Deifer , Deificatus* à quibusdam Ecclesiae Patribus usurpantur ; consultius tamen ab eis abstinere debemus , latet enim quandoque anguis sub herba.

61. Catholica est , atque orthodoxa haec enunciatio : *Deus factus est homo* : falsa verò , penitusque fugienda haec altera : *Homo factus est Deus*.

62. Diris devovendum est hoccine pronunciatum ut falsum , et Arianae haereseos coeno pollutum : *Christus est creatura.*

Unus,

63. Unus , et unum dicendus est Christus , non duo.
64. Firmiter sustinebimus , unicam in Christo , eamque Verbi adinveniri existentiam , quamquam binis ille gaudeat naturis.
65. Congruentiora Scripturis Sacris verba loqui illi videntur , qui verum , propriumque moriendi praeceptum Christo Domino iniunctum agnoscunt.
66. ; Corruitne , hoc stante praecepto , Christi impeccabilitas ? ; liberumne illius interiit arbitrium ? neutrum penitus , sed utrumque , praeunte Angelico Magistro , ad concordiam prosperè adducere curabimus.
67. Sustinemus , omnique mentis conatu propugnamus , Salvatorem nostrum vel à primo suae animationis momento usque ad vitae terminum omnibus liberis humanae voluntatis actionibus promeruisse , suavissimoque virtutum odore emicuisse.
68. Haud aequo animo erga Christum se gerit , qui gloriam sui corporis , nominis exaltationem , aliaque id genus ad excellentiam exteriorem attinentia , eum meruisse diffitetur.
69. A communi sententia , quae Christum nec sibi habitualement gratiam , nec gloriam essentialem meriti via comparasse tutatur , frustra me pertentabis divellere.
70. Meritorum Christi propagines , illiusque passionis uberrimos fructus habeto gratias cunctas actuales , queis ad iustificationem progredimur , auxilia ad conversionem disponentia , verbo , dona omnia supernaturalia , omnesque praedestinationis effectus.
71. Operationes , quibus benignissimus Iesus profuso suo sanguine nos à captivitate Doemonis liberavit , non modò ex externo Dei acceptantis favore , sed et ex ipsa quoque interna , congenitaque dignitate pretii fuerunt , valorisque simpliciter infiniti.
72. Non aequum duntaxat censum peccatis nostris expiandis persolvit ; verùm et superabundantem Deo Patri obtulit satisfactionem.
73. Christi Domini satisfactio vel ad ipsos iuris apices , atque rigorem fuit omnino exacta : adversantium tela , quibus iustitiae conditiones impetuntur , nihil nos terrent , nihilque nos movent.
74. Iesu Christi satisfactionem à commutativa iustitia efluxisse , pleno ore fatemur.
75. Absque iniuriae nota affirmamus , humani generis Salvatorem Christum verè et propriè posse appellari Dei servum servitute naturali.
76. Christus modò coelestis Hierusalem civis assiduè orat , et interpellat pro nobis , atque officium Mediatoris exercet.
77. Quaelibet Christi oratio absoluta , atque ex voluntate rationis regulis directa proficiscens , fuit semper ab aeterno Patre exaudita : è regione stantes non uno argumento convincam.
78. Nec multis egemus stipulatoribus , ut intrepidè fateamur , Christum ut hominem primariò quidem , et principaliter ad filiationem Dei naturalem , se-
- cun-

cundariò verò ad beatificam visionem, aliaque superna ipsi collata dona fuisse praeordinatum.

79. Non possumus non adprobare, Christi praedestinationem esse exemplarem, finalem, et efficientem causam nostrae praedilectionis.

80. Christi humanitas à Verbo intellectus ope praecisa, inferiore latrià cultu ob creatas eius perfectiones potest adorari.

81. Prout diversa ratione sacras perpendas imagines, eodem, aut minori cultu, ac prototypus, eas coli debere comperies.

82. Praestantissimam almae Deiparae dignitatem fatemur cuncti : Latriae tamen cultu venerari minimè debemus.

Sacramenta in universum.

ECCLESIAE DOGMATA.

1. Lutherani, et Calvinistae in Sacramentis assignandis non sibi constant, nec mirum, cum inconstantia propria sit haeticorum dos; Catholicis ergo fidendum, qui firmiter profitentur, septenario ea numero concludi.

2. Nobis haud inexploratum, septem Ecclesiae Sacramenta esse ad salutis obtentum necessaria: cave tamen, ne inde inferas, aut eodem modo, aut singulis singulos egere.

3. Sacramenta non ita sunt inter se paria, nec ita aequalis eorum dignitas, ut nulla ratione aliud sit alio excellentius. Reluctantur haetici; sed hos litteras ferre Bellerophontis, facillimum est demonstrare.

4. Audaciae, errorisque plenissimum est, Sacramentorum novae Legis omnium institutionem in Iesum Christum non referre.

5. Legis gratiae Sacramenta et rebus tanquam materia, et verbis tanquam forma perfici, ita clarum, notumque omnibus, ut lippis, et tonsoribus pateat.

6. Concio, velut Sacramentorum essentiae pars, in eorum collatione haud adhibenda. Non me latet, quot in nos urgeant heterodoxi, quique eorum vindicias edidere, quae tamen nihil obstant, quominus dogma hoc sartum, tectumque perseveret.

7. Quae Sacramentorum formam constituunt, verba, consecratoria revera sunt: minimè verò simpliciter promissoria, aut concionatoria. Requit cum Calvino Lutherus: at evellenda illis ex animo funesta illa, infaustaue praeiudicia.

8. Nervos etsi omnes intendant Novatores, numquam tamen vel leviter ostendent, eandem fuisse Sacramentorum veteris legis cum nostris vim, et efficientiam.

9. Sacramenta novae legis *ex opere operato* gratiam haud producere perversa est haeticorum doctrina, quorum portenta aspernari refutasse est.

10. Contra Lutherum, Calvinum, et Novatorum reliquos toto ore clamamus, characterem extare, et per quaedam imprimi Sacramenta; una est enim haec Catholicorum vox.

11. Si verò à me quis sciscitetur, quot sint haec Sacramenta characterem imprimantia, tria tantùm, non plura, pauciorave indigitabo: Baptismum nempe, Confirmationem, sacramque Ordinationem.

12. Nec à gravissimis peccatoribus, imo nec ab haereticis semovetur character, quippe qui indelebiter animae inhaeret.

13. Non sunt singuli prorsus homines, quin potius nec Christiani omnes quorumlibet Sacramentorum ministri. Declinandus ergo haeresiarcha Lutherus, haeticorum loquacissimus.

14. Fugiendus est prorsus nigerrimo cygno simillimus eorum error, qui Sacramenti ab improbo, scelestissimoque ministro collati cum debita forma, materia, et intentione, validitatem eliminare contendunt.

15. Acatholicorum renuimus placitum de valore Sacramentorum, non obstanti ludificatione, ac irrisione quacumque. Ratum est Sacramentum, si Minister proponat facere, quod facit Ecclesia.

SCHOLAE POSITIONES.

1. Sacramenti arcanum, atque praeexcelsum nomen procul eliminare tentarunt haeticorum quidam, signi, vel symboli vocabulo substituto: ut igitur eorum obstruamus impudentissima ora, totis lacertis principio statuendum venit, illud nomen iure, meritòque in Ecclesia usurpari.

2. Quamvis praefatum vocabulum ad plures, easque diversas pertrahatur significationes, contractius tamen, atque specialius accipi solet pro signo rei sacrae gratiae praesertim spiritualis, atque invisibilis homines mundantis.

3. Statuimus ergo, Sacramentum rectè appellari signum ad placitum, practicum, sacrum, permanens, ac stabile.

4. Nedum imperfectae, atque legalis sanctitatis, quemadmodum aliquibus viris arrisit, signum est Sacramentum; verùm et perfectae, quae per gratiam habitualem, et quidem in ipsa Sacramenti susceptione conferatur.

5. Veteris, novaeque legis Sacramenta rebus sensibilibus perficiuntur; idque Sacramenti, prout est homini accommodatum, exposcit natura.

6. Lotio pedum in quibusdam Ecclesiis, dum conferebatur Baptismus, olim vixit, ut antiqua monumenta testantur: igitur erit Sacramentum, aut ad Baptismi pertinebit essentiam? haecine Novatoribus placent, Catholicis iniucunda.

7. In Sacramentis, saltem novae legis, verba congruenter, optimoque consilio rebus adiungi, nec vel levissimè dubitamus.

8. Eorum semper premam vestigia, qui Sacramentorum materiam, et formam eorundem internas, essentiellesque partes agnoscunt.

9. A Tridentinis Patribus tamquam fidei dogma definitum non est, Sacramenta omnia à Christo Domino immediatè instituta fuisse; audaciae nihilominus, temeritatisque plenum esset, hanc communem oppugnare sententiam.

10. Summopere oportuit, Sacramentorum novae legis materiam, atque formam à Christo definiri, uti reapse praescripsit.

Re-

11. Reiicimus eorum sententiam, qui penes Ecclesiam esse censent Sacramentorum materiam, atque formam immutare; nobis etenim constat, haec illius superexcedere potestatem.

12. Irritum evadet, cassumque Sacramentum, si materia, aut forma intrinsecus quoad substantiam immutentur: validum è converso, si accidentalis evenerit mutatio.

13. Scelus incurrit teterrimum, nefarioque sacrilegii crimine conspurcatur, qui sive ex negligentia gravi, sive ex ignorantia vincibili, vel ex contemptu ita Sacramenti formam immutat, ut Sacramentum nullum, inaneque reddatur.

14. Ille item gravissimè delinquit, qui vel in Sacramentorum materia, vel forma, aut caerimoniis Ecclesiae suae ritum, modumque nefario ausu fuerit praetergressus.

15. Nefas est quoque gravissimum, in Sacramentis conficiendis, extrema non urgente necessitate, materiam adhibere, formamve proferre tantummodo probabilem, certa, vel tutiore, quae adsit, neglecta.

16. Conditionalem formam usque ad VIII. saeculum fuisse penitus inauditam, nullibique obtinuisse, antiquorum primi subsellii testimonio edocemur.

17. Hanc absque piaculo usurpare poterit minister, cum praemisso diligenti examine Sacramentum in coniectura positum reperitur.

18. Quid si levi pulsante dubio, Sacramentum, aut formam super eandem materiam iteraverit? sacrilegio inquinatur, gravemque auctori Sacramentorum irrogat iniuriam.

19. Probabilius nobis adparet, nulla extitisse Sacramenta in eo felicitatis statu, in quo brevi iustitiam originalem servavit primus Parens, nec instituenda, si diutius perdurasset.

20. In lege naturae quaedam extiterunt Sacramenta, quibus non solum originale, sed etiam actualia expiarentur peccata: ast quaenam haec? incertum penitus esse pronuntiat M. August., nosque cum ipso.

21. Agnoscimus post Christum nova substituta fuisse Sacramenta, antiquis virtute maiora, utilitate meliora, actu facilia, numero demum pauciora, ut docet August.

22. Novae legis Sacramenta nedum morali, sed et causalitate physica instrumentali potiuntur: id pluribus in locis tradit columen, praesidiumque M. Aquinas.

23. Extra litem opinor positum, Sacramenta, quae dicuntur mortuorum, per se primam producere gratiam: quae verò vivorum nuncupantur, conferre secundam.

24. Apprime novimus, utrorumque vices quandoque mutari, vivorumque primam, mortuorum autem secundam ex accidenti producere gratiam.

25. Sacramenta specie diversa, praecisa subiecti dispositione, inaequalem ex se tribuere gratiam adseveramus. Quid si solo numero discriminentur? aequalem omnino producant effectum.

26. Subiectorum verò considerata praeparatione, idem specie Sacramentum

pa-

parem confert , aut imparem gratiam pro rata dispositionis.

27. Compertum nobis est , gratiam , quae sacramentalis vocatur , ei , quae virtutum est , et donorum , quidquam addere diversum : ; at quidnam ? mentem nostram desideranti aperiemus.

28. Aptius nobis videtur , veroque conformius , antiquae legis Sacramenta iustificationis gratiam *ex opere operato* activè minimè contulisse.

29. ; Sed quid de Circumcisionis efficacia constituendum est ? in hac spinosa nimis , aleaeque plena disputatione verisimilius iudicamus , eam *ex opere operato passivè* produxisse gratiam.

30. Nullus alius , nisi homo viator , ordinarius est Sacramentorum minister ; nihil tamen vetat , sanctos Angelos , et beatos in coelo regnantes Sacramenta conficere , modò extraordinaria donentur potestate.

31. Lethalis culpa macula contaminatur solemnitatis minister , qui impurè , indignèque Sacramenta conficere , aut tractare aggrediatur.

32. Sacerdos , et à fortiori laicus mortali non innodantur peccato , etsi , gravis noxae sibi conscii , premente necessitate , Baptismum ministrent : ; idemne de aliis Sacramentis pronuntiamus ? absit.

33. Fas est , urgente mortis articulo , quaedam saltem suscipere Sacramenta à sceleroso quovis ministro non tolerato , si toleratus absit.

34. Licitè possumus extra mortis periculum ex iusta , ac rationabili causa petere , atque à ministro recipere , cui iure non incumbat regimen animarum , quantumvis improbus ille sit , ac flagitiosus ; dummodo sententia iudicis non constet , inhiberi illi sacrorum mysteriorum dispensationem.

35. Cassum erit , inaneque Sacramentum , si in ministro sit sola intentio ritum externum peragendi , geratque in animo suo latentem deliberationem non faciendi rem sacram , prout in Ecclesia Christi fieri solet , quamvis materiam adhibeat , et formam proferat , nec illa deliberatio aliqua externa irrisione foras erumpat ; ergone interna requiritur intentio , exteriorque non sufficit ? ita tradit Ang. Praecept. cui libenter subscribo.

36. Non eam quidem ad valorem Sacramenti necessariam exigimus intentionem , qua minister illius effectum intendat , vel habeat in animo id facere , quod fieri novit ab Ecclesia Romana ; seu explicatè credat , esse ritum illum sacrum , ac salutiferum ; sed sat est , si id proponat facere , quod vera facit Ecclesia.

37. Actuali intentioni primas deferimus ; necessariam tamen non esse , et id adserimus : sufficit virtualis : habitualis verò , et interpretativa non item.

38. Ordinariè loquendo , unicum Sacramentorum subiectum est homo viator ; Angelis etenim sensibilia signa applicari non possunt : in aeternum damnati gratiae sunt penitus incapaces ; nec patitur beatorum felicitas , ut in eis augeatur illa.

39. Nobis est perquam certum , necessariò requiri in adulto sui compote ad Sacramenti valorem , et integritatem intentionem illud suscipiendi ; unde qui merè passivè se habet , à fortiori qui reluctatur , nullum recipit Sacramentum : de

de Eucharistia verò eodem modo loqui fas nobis non est.

40. Occulto peccatori clanculum poscenti , publico item sive clam , sive in aperto poscenti extra mortis discrimen deneganda ducimus Sacramenta : Poenitentiam tamen , et quandoque Matrimonium excipimus.

41. Constantissimè propugnamus Ecclesiae à Christo Domino id ius esse commissum , ut caerimonias instituere posset , quibus fidelium pietatem aleret, rebusque sacris reverentiam conciliaret , eoque minimè abusam.

42. Praescriptae sunt Sacramentorum caerimoniae , non ob solam cultus divini decentiam , neque in commodum ministrantium , aut adstantium ; sed propter mysticam , quae in unaquaque earum adinvenitur , significationem.

43. Constitutas caerimonias , etiam secluso scandalo , aut contemptu , sedulo observare tenentur ministri Sacramenta solemniter conficientes , aut ministrantes : peccant , si illas despiciatui habeant , aut pro libitu omittant.

44. Sacramentalia virtute non gaudent *ex opere operato* abstergendi ea, quae venialia dicuntur peccata ; bene tamen per modum impetrationis cuiusdam.

Sacrum Baptisma.

ECCLESIAE DOGMATA.

1. Socinus , et Ostorodius Baptismo nihil significari praeter nudam caerimoniam ab Ecclesiae doctrina indistinctam contendunt. ; At quaenam fides procacibus impostoribus allucinationes , commenta , somniaque sua sine vade , sine teste liberaliter venditantibus ? Nulla profectò.

2. Grande , et immane scelus est , quo irretiuntur stipites , ac plumbei heterodoxi , aquam in Baptismate nihili pendentes ; omnis namque , et sola naturalis aqua huius est Sacramenti materia.

3. Valet Baptismus sive immersione , sive infusione , sive aspersione collatus : ergo Graeculi foedifragi Romanam reprehendentes Ecclesiam , quod immersionem, infusionemve praescripserit, naviter sunt impudentes, atque imperiti.

4. Res certa est , nullique non nota , hanc sacramenti Baptismi formam, quam Latina profert Ecclesia : *Ego te baptizo in nomine Patris , et Filii , et Spiritus Sancti* : legitimam esse , certam , et antiquissimam.

5. Nec tamen in formam hanc : *Baptizetur , vel baptizatur servus Dei cet.* à Graecis adhiberi solitam , ceu invalidam insurgimus ; scimus enim à nostra substantialiter non distare.

6. ; Quid si Baptisma sub hac forma conferatur : *In nomine Patris , et Filii , et Spiritus Sancti* ; omissis istis : *Ego te baptizo* ? Eritne validum ? Nequaquam.

7. Marcionitae , nostrique temporis Anabaptistae crudas gregalium suorum spes fabulis alunt crasissimis , dum ritè collatum Baptisma licitè , et validè iterari posse deblaterant ; ; Dignum ipsis commentum !

8. Homo quilibet ratione utens , vir sit , seu mulier , Catholicus , sive Haereticus , fidelis , sive infidelis , essentialibus adhibitis , validè baptizat semper, etsi licitè in necessitatis casu tantum.

R

Non-

9. Nonnullorum haereticorum dementia est , à qua longissimè absumus , patere aditum in Regnum coelorum per aliam , quam Baptismi ianuam.

10. Supplet in adultis Baptismus *fluminis* , seu sincera cordis contritio cum voto baptismi aquae , necessitatem baptismi *fluminis* ; non tamen in parvulis per se votum illud concipere impotentibus.

11. Valentini putidum commentum est , ac pro arbitrio confictum , dementiam esse pro Deo mori : apud nos inconcussum , Martyrium item baptismi vicem gerere , non in adultis modò , sed et in parvulis etiam.

12. Parvuli , quibus rationis lumen nondum affulsit , possunt utique baptizari , imò licet , expedit , necesse est eos salutari unda perfundere. *Hoc Ecclesia semper habuit , semper tenuit , hoc à maiorum fide suscepit , hoc usque in finem perseveranter custodit* , inquit August.

13. Producit in nobis sacrum Baptismi lavacrum sanctificantem gratiam , qua emundamur ab omni prorsus sorde , sive origine , sive actu contracta.

14. Etsi remaneant in baptizatis concupiscentia ad agonem , moriendi necessitas , nec non aliae vitae huius miseriae , quas infelici cernimus experientia ; procul tamen abest reatus poenae cuiusque apud Deum luendae , qui penitus remittitur.

15. In illorum Sacramentorum numero Baptismus reponendus , quae afferunt animae characterem , ipsi indelebiter impressum.

SCHOLAE POSITIONES.

1. Baptismi Sacramentum , quo de antiqua peccati propagine in novam transimus generationem , facti nova creatura , novumque figmentum , duce Ang. Praecep. , sic physicè definire fas erit : *ablutio corporis sub praescripta verborum forma.*

2. Haereticorum plerique , sicut et Catholicorum nonnulli , Baptisma nostrum à lustrationibus Gentium , et Iudaeorum mersionibus originem suam capere autumant ; sed perperam , et irrectè.

3. Nobis probabilius Sacramentum hoc à Christo institutum ante suam passionem , idque dum in Iordane fuit baptizatus.

4. Sed quandonam illius suscipiendi obstrinxit praeceptum ? non ante passionem , et resurrectionem ; illico verò post eas peractas.

5. Non contemnendis ducti momentis iudicamus , validum esse , ratumque Sacramentum , quod sine trina infusione , immersione , aut aspersione conferatur : nobis adversos oppugnandos adgredimur.

6. Diversa transactis saeculis obtinuit in Ecclesia disciplina circa Baptismi immersionem , infusionem , et aspersionem ; teneat tamen unusquisque Ecclesiae , cuius est , ritum , ac consuetudinem.

7. Persuadere sibi visi sunt quidam , validum esse , integrumque Baptisma , qui invocato solius Christi nomine conferatur : verum parum acutè , cum perspicuè constet , expressione Sanctae Trinitatis esse omnino opus.

8. ; Ast quid de Apostolicis temporibus asserendum ? ; contuleruntne Baptisma, sacratissimo solummodo Christi nomine expresso ? ; ane adhibuerunt explicitam Trinitatis invocationem ? res haec est , de qua plurimos utrinque video digladiari : ut igitur utrique consulamus sententiae , opponentis arbitrio partem seligendam relinquimus , quamque ipse oppugnaverit , nos tuebimur.

9. Fas est baptismi Sacramentum praevia conditione iterare , si dubium aliquod rationabile de illius valore pulsaverit animum ; quid si inani agitetur dubitatione ? nefas teterrimum.

10. Ratam existimamus , firmiterque amplexamur pervulgarem trium Baptismatum Fluminis scilicet, Flaminis, et Sanguinis distinctionem solemnem Scholasticorum , ac Ecclesiae usu comprobata.

11. Martyrium delere culpam , poenamque remittere *ex opere operato* passivè fateri debemus , si Ang. Praecept. religiosius aemulari conamur.

12. Baptismum solemnem ritu administrandi ordinaria potestas omnibus , et singulis Presbyteris competit vi ordinationis ; ad Diaconos poterit pertinere , modò ab Episcopis , aut Presbyteris extraordinariè delegentur.

13. Tritum est , neminique vel minimùm reluctari permittitur , adultos Baptismi capaces , suique compotes obligatione è iure naturali , atque divino orta adstringi suscipere salutiferum aquae Sacramentum.

14. Matris Baptisma puero in utero clauso neutiquam prodest , ut ab originali peccato emundetur , aeternamque sortem capere possit.

15. Gravissimorum auctorum instructi praesidio , verosimilius opinamur , regenerationis undis nec licitè , nec validè puerum posse lustrari , cuius aut corpus integrum , aut pars illius aliqua extra uterum nondum prodierit , etsi aperto uteri ostio possit per siphunculum , aut clysterem aqua perfundi.

16. Infans si caput emiserit , et periculum mortis imminet , erit baptizandus ; nec postea , si vivus evaserit , erit iterum abluendus ; si verò aliud membrum prodierit , et mortis discrimen impendat , debet baptizari ; si verò supervixerit , conditionatè iterum baptizandus ; si autem exciderit è vita , debet in loco sacro sepeliri.

17. Pueri infidelium , qui Christiano Principi non serviliter , sed nullatenus , aut politicè tantùm subiectantur , ipsorum parentibus invitis , et reluctantibus , illicitè salutaribus undis abluuntur ; nonnullos excipito casus , quos in agone promemus.

18. Infidelium verò filios , qui Principibus Christianis tamquam mancipia subduntur , contranitentibus illis , impune posse baptizari , nostra est sententia.

19. ; Equis , cui mica sit mentis , stolidum non execrabitur eorum errorem , qui mortuos , vel pro defunctis viventes baptizabant ? nullus profectò , nullus.

20. Haud licet Baptismi susceptionem in adultam aetatem dimittere ; antiquitatisne obtrudis exempla contra universalis Ecclesiae optimam praxim ? hallucinarius.

21. Sublato obice reviviscit penitus Baptismus , plenissimumque sortitur effectum

tum in iis adultis , qui ficta dispositione ad ipsum accesserunt.

22. Providè, sapienterque caerimonias nonnullas in Baptismi collatione adhibet S. M. Ecclesia : eas minutatim exponere , simulque Lutheranorum , ac Calvinistarum in illas audaciam refutare , ad nostrum munus spectare scimus.

Confirmationis Sacramentum.

ECCLESIAE DOGMATA.

1. Quotquot in Lutheri , ac Calvini abiere partes , utriusque pestilentissimam secuti doctrinam , Confirmationem sacratissimam è numero Sacramentorum abstergere sunt conati. Acuit et in eam stylum audax Kemnitius veneno tinctum , impudentissimumque. At firmior stat Catholica veritas , quàm ut horum arietibus concutiatur ; munitur quippe divinarum Scripturarum firmissima auctoritate , roboratur perpetua traditione ; quibus nihil ultra.

2. Ordinarium sacrae Confirmationis ministrum non solum Episcopum , sed Sacerdotem quemlibet efficit haeticorum grex. Mentitur equidem : huius enim Sacramenti administrationem solis competere Episcopis , non secus ac digitos nostros noscimus.

3. Avitae Religionis infensus est hostis , qui Sacramentum hoc baptizato conferre roborantem gratiam , perfectionem , ac firmitatem admittere reluctatur.

4. Sacramentum Confirmationis characterem imprimit ; ergo iterari nequit ? optimè infero.

SCHOLAE POSITIONES.

1. Confirmatio sic à nobis aptissimè definitur : *Sacramentum novae legis, quo fideles baptizati ad Christi fidem palam , et intrepidè profitendam Spiritus Sancti plenitudine roborantur per manuum Episcopialium impositionem , et sacri Chrismatis unctionem.*

2. Si tempus percontaris , quo hocce Sacramentum instituit Christus Dominus ; rem exquiris cimmeriis tenebris obscuriorem : si tamen est coniecturae locus ; id ea tempestate contigisse putamus , qua Christus à mortuis excitatus cum Apostolis conversabatur , loquens de regno Dei.

3. Sacramenti huius materiem in unctione Chrismatis ab hacque indistincta manuum impositione collocare nobis maximè arridet.

4. Ad Chrismatis confectionem opus est primò oleo ex olivis expresso , dein balsami admixtione , quae ita necessaria est , ut sine ea nullum esse Sacramentum putemus.

5. Sat bene probabile est , ad valorem Sacramenti necessariò requiri , quod Chrisma sit ab Episcopo consecratum , ita ut simplex Sacerdos , nequidem Pontificia accedente dispensatione , illud possit validè consecrare.

6. Episcopi unctionem praecedens oratio non est vera , atque legitima huius Sacramenti forma , prout quidam statuunt Theologi.

7. Verba ergo , quae Chrismatis comitantur inunctionem , scilicet *Signo te signo crucis , et confirmo te* cet. sunt apud Latinos propria , atque adaequata Confirmationis forma.

8. Usurpant Graeci hanc formam : *Signaculum doni Spiritus Sancti* cet. veram quidem , atque perantiquam.

9. Potest Apostolica sedes confirmandi facultatem impertiri etiam Presbyteris Episcopali caractere non insignitis : poterit ergo simplex Sacerdos esse minister extraordinarius Confirmationis.

10. Ut validè possit simplex Presbyter Confirmationis ministrare Sacramentum , opus est in Occidentali Ecclesia Romani Pontificis delegatione : in Orientali verò perantiqua , et universa recepta consuetudo sufficit , quam idem Romanus Pontifex aut approbet , aut saltem permittat.

11. Homines cuncti sacro baptismo initiati , idonei sunt ad Confirmationis recipiendum Sacramentum , infantiam licèt nondum exuerint , sintque parvuli.

12. Eodem pariter modo pronuciare debemus de aegrotis , sonticis , energumenis , eisque amentibus , qui lucidis , ut aiunt , potiuntur intervallis.

13. Dispositiones quasdam tum ex parte corporis , cum ex parte animae exigit hoc Sacramentum , ut uberrimum eius fructum suscipientes sibi conciliare valeant , quas volenti cumulatiùs dabimus.

14. Sacramentum hoc necessarium ad salutem non esse ea necessitate , quam Theologi adpellant medii , res est , ut mihi videtur , extra omnem litem constituta : at verò eiusdem praeceptum denegare non audemus.

15. Tenentur ad Confirmationem accedere , qui ad negandam Christianam fidem haereticorum importunis sollicitationibus , aut minis provocantur , iique omnes , qui eam pessundandi tentationibus percelluntur.

16. Lethalis criminis iugum suis cervicibus concitant absdubio , ac sacrilegii rei sunt quotquot saluberrimum hoc Sacramentum arroganter contemnunt.

17. Tenere debes absque ullo dubio , ritum quo haeretici olim recipiebantur in Ecclesiam , Sacramenti Confirmationis non esse iterationem , neque contrarium quid ex August. et Cypriano inferre licebit.

18. Ritus quosdam praescribit Ecclesia Romana in Chrismatis consecratione ; sicut et in Confirmatione ministranda : hos trademus , simulque ab haereticorum morsibus vindicabimus.

Mysteriorum maximum Eucharistia.

ECCLESIAE DOGMATA.

1. Pluribus olim praesignatae Eucharistiae dignitas admiratione potius , quàm oratione prosequenda est , cum longè superet inopiam humani eloquii , nec valeat exornari verbis , aut mente comprehendi. Verum esse novae legis Sacramentum , tenent nobiscum Novatores , si tenere dicendi sunt , qui impietatis , haeresumque portentis omnia ubique implent.

2. In almo Eucharistiae Sacramento post panis et vini consecrationem (Tri-

dentini verba loquor) Dominus noster Iesus Christus , verus Deus , atque homo , verè , realiter , ac substantialiter sub specie illarum rerum sensibilium continentur. Hanc solatii plenissimam veritatem testantur Sacrae Scripturae , Sacrosancta Concilia , ac perpetua traditio. ; Mirum , quàm sit Ecclesia adversus portas Inferi munita , atque tecta !

3. Peracta consecratione , totam panis , vini que substantiam in corporis , et sanguinis Domini nostri Iesu Christi substantiam converti , vera tenet fides. Ergo procul à nobis Impanatores , et Consubstantiatores.

4. Frustra quaeretur Catholicus , qui non asserat Eucharistiae Sacramentum in re permanenti consistere , minimè in usu , aut sumptione , ut insani tuentur novitatum patroni.

5. Iesu Christo sub speciebus Eucharisticis latitanti Latriae cultus praestandus : Ecce penitus profligatos Lutheranos , et Calvinistas , à quorum cavillationibus nos quàm facillimè expediemus.

6. ; Quenam profectò admirabilis huius Sacramenti materia assignanda ? Solus panis triticeus ; nec ipsius loco aliquid subrogari potest. Obmutescant ergo haeretici , quorum insanas tacebo spurcitas , ne spurcissimus ipse videar.

7. Est etiam sanctissimae Eucharistiae materia vinum de vite ; perperam igitur sive aqua , sive liquor alius , etsi communi usu deserviat ad potum , vini loco substituitur.

8. Re quidem verà totus , et integer Iesus Christus continetur sub utraque ex speciebus ineffabilis huius Sacramenti.

9. In omnibus specierum partibus ab invicem divisis , totum contineri Iesum Christum , Catholica edocemur fide.

10. Sacerdotes verbis Dominicis consecrant , et conficiunt hoc Sacramentum , nulla habita ratione precum , quae ante , vel post in Liturgiis recitantur.

11. Adulti ad communionem sacramentalem obstringuntur , ad id eos cogente Ecclesia , cuius praecepto tenentur morem gerere saltem in anno , recurrente solemnitate Paschali.

12. Praecepto communionis annuae non satisfit per sacrilegam Domini manducationem , sive praeceptum Divinum , sive Ecclesiasticum spectes.

13. Neque praeceptum Divinum , neque salutis necessitas praescribit fidelibus laicis , aut Sacerdotibus non consecrantibus utriusque speciei sumptionem.

14. Laborant et nunc heterodoxi virulentia sua , capitalique merguntur errore , dum munere conficiendi Eucharistiam , quod solis competit Sacerdotibus , fungi quoque volunt viros laicos , et non Sacerdotes. Quae autem obiectant , non pluris ego facio , quàm meras nugas , et cassas glandes.

15. Ordinarius Minister dispensationis huius Sacramenti ille est solus , qui Sacerdotali caractere insignitur. Quamquam non me lateat aliquando dispensasse Diaconos ; id tamen Antistitum iusu , ac delegatione ipsis commissum , optimè scio.

16. Eousque se extendit cruentae in Cruce immolationis valor , ut ipsa solà Christus Dominus exhaurire posset peccata universa.

17. ; Igitur Missa est improprie dictum sacrificium , et sola corporis Domini distributio , et communio ? Ita effutiunt haeretici : nos verò ex opposito dicimus , Missam veram esse oblationem , verumque sacrificium , quod in Ecclesia offertur.

18. Nec tantummodo est *Eucharisticum* , et *Latreuticum* sacrificium , verum etiam *Propitiatorium* , imò et *Impetratorium* : clament licet ad ravim usque haeticorum plurimi.

19. Iure optimo offertur hoc Missae Sacrificium tam pro his , qui mortalem adhuc degunt vitam , quàm pro cum pietate decedentibus.

20. Regnantibus iam cum Christo Sanctis , ac damnatis sacrificium hoc propitiatorium esse nequit. ; Ergo pro illis , Sanctis inquam , irritè peragitur ? haec est A catholicorum illatio , quae à recto veritatis tramite longissimè aberrat.

21. Lutherus , qui instigante Doemone , librum de *abroganda missa privata* se edidisse testatur , nullo Theologico argumento demonstrat , imò nec posset , Missas , quas privatas dicimus , illicitas esse.

SCHOLAE POSITIONES.

1. Sacramenti huius dignitas , quantumvis humanum omne superet eloquium , sequenti tamen diffinitione poterit tantisper exornari : *Sacramentum corporis , et sanguinis Christi ad spiritualem animae refectionem institutum.*

2. In azymo , sive fermentato pane triticeo Christi corpus secundum veritatem confici , iam pridem nos edocuit Florentina Synodus ; per summam igitur imperitiam repudiantur Graecorum sacrificia , quia fermentato pane peraguntur ; stultèque nimis eorum quidam nostra in reprehensionem adducunt , quia azymo constant.

3. Non una tamen ratione ritus Ecclesiae Occidentalis azymum consecrantis praevalet Orientalium consuetudini fermentato utentium.

4. Illis non adhaeremus , qui censent Graecis apud Latinos commorantibus fas esse consecrare azymum , et è contrario Latinis apud Graecos fermentatum : servare ergo unusquisque tenetur suae Ecclesiae usum.

5. Rationabiliter admodum ex perantiqua traditione , et Ecclesiae praecepto modicum aquae naturalis vino consecrando debet admisceri. Ineptire ergo dic prorsus Armenos vinum purum absque aqua offerentes.

6. Nolumus tamen hinc consequi , permixtionem hanc ad essentialia Sacramenti spectare ; est enim tantummodo necessaria necessitate praecepti , non tamen Divini , sed Ecclesiastici.

7. Perspicua res est , planèque nota , validè unam speciem sine altera posse consecrari.

8. Iure tamen Divino prohibitum est unam sine altera specie consecrare , nequidem Summi Pontificis dispensatione.

9. Vel in qualibet continuarum specierum parte totus Christus verissimè continetur.

Chri-

10. Christus Dominus Eucharistiam instituens, non sola benedictione, sed his verbis : *Hoc est corpus meum : Hic est calix sanguinis mei* cet. usus revera fuit.
11. Ea dumtaxat verba : *Hoc est corpus meum*, et *Hic est calix sanguinis mei*, aut *hic est sanguis meus* consecrationi essentialia sunt. Sedulò tamen cavendum, ne cetera omittantur.
12. Poterit absque reali Eucharistiae sumptione comparari salus : perperam ergo parvulis, aut adultis necessitate medii ad vitam aeternam statuitur necessaria.
13. Praecepto Divino adstringuntur adulti, sacramentalem Eucharistiae suscipere communionem.
14. Communionem frequenter suscipere ex se laudabilius, utiliusque est: magnopere tamen expedit Patrum, atque prudentum virorum altà mente defigere documenta.
15. Ex communione unius speciei nullum fidelibus sequitur detrimentum, neque ex utriusque sumptione uberius percipitur gratia.
16. Fatendum est igitur, gravissimis innixam rationibus iure optimo laicis calicis usum Ecclesiam interdixisse.
17. Datam antiquitus infantibus Eucharistiam, eruditorum consensione firmatur; ast desiit iam dudum pervetusta haec consuetudo, adversaque in Ecclesia Latina plausibiliter retinetur : abeant ergo Graeculi schismatici sanctissimam hanc praxim Latinis crimini vertentes.
18. Eucharistiam administrare non licet amentibus, qui rationis compotes numquam fuere. ; Quid de iis, qui rationis usu non semper caruerunt? porrigi sane potest, observatis quibusdam, adhibitisque cautionibus.
19. Fas est communionem energumenis aliquibus in casibus elargiri : ; quandoam? in arena.
20. Viguit olim in Gallia, et Hispania consuetudo denegandi Eucharistiam extremo, et publico afficiendis supplicio; exolevit tamen iam illa, praxisque contraria praeponenda nobis videtur.
21. Poenitentibus in mortis discrimine constitutis, quantumvis scelerosi, ac flagitiosae fuerint conscientiae homines, nequiquam deneganda est Sacramentalis Eucharistiae sumptio.
22. Pessimum illum, stultissimumque abusum Eucharistiam cadaverum ori ingerendi iam dudum Carthaginensis Concilii Patres aequissimè reprobaverunt.
23. Ad sacram mensam accedentes quaedam comitari debent dispositiones, quibus et anima, et corpus instruantur : has in palaestra aperiemus.
24. In poenam gravioris alicuius criminis privabantur antiquis temporibus Sacerdotes communionem Clericali; atque laica tantum potiebantur : quid haec fuerit, non adeo certò liquet; impugnatis plurium sensibus, nostrum concertatione aperiemus.
25. Plurima sunt nomina, quibus tum Latini, tum Graeci Missae sacrificium designant : sunt etiam Missarum varia genera, prout singula eruditè admodum prosequitur Cl. Laurentius Berti, è cuius ore loquemur.
26. Placuit quibusdam, essentiam Sacrificii Missae in oblatione praecedente,
aut

aut subsequente consecrationem reponere ; nonnullis in elevatione hostiae , fractione , vel mixtione specierum ; aliis demum in distributione ; ast eos omnes rem parum habuisse perspectam , obvio negotio ostendemus.

27. Probabilius ergo asseritur , Missae Sacrificium essentialiter consistere in corporis , et sanguinis consecratione , quae sumptionem tanquam integrantem partem respiciat.

28. Missae Sacrificium ex sui dignitate valorem continet infinitum ; fructum tamen finitum , ac limitatum operatur.

29. Per se loquendo licitum est , laudeque plenum , sanctissimum Eucharistiae sacrificium celebrare quotidie.

30. De loco , et tempore ad celebrandum celsissimum Missae sacrificium perpauca garriemus.

Poenitentiae virtus , et Sacramentum.

ECCLESIAE DOGMATA.

1. Piissimus Salvator , aiebant olim Tridentini Patres , nostrum noscens figmentum ; *Illis etiam vitae remedium contulit , qui se in peccati servitutem , et daemonis potestatem tradidissent , Sacramentum videlicet Poenitentiae , quo lapsis post Baptismum beneficium mortis Christi applicatur.* Poenitentia igitur est medicina , speciali Dei gratia parata , salutareque remedium nobis collatum , ut à peccatis mundaremur.

2. Extitere , qui execrabili audacia protulerint , Poenitentiam non esse verum , propriumque Legis gratiae Sacramentum ; sed ipsos addere mendacia culpae , ex Scriptura , ac Patribus nullo labore vincitur.

3. Errant certè , ac in plena meridie caecutiunt , qui secundam post naufragium tabulam , seu Poenitentiam , à prima tabula , seu Baptismo , eiusve remissionis volunt indistinctam.

4. Nec eos audiamus , qui negant Ecclesiam Dei omnia peccata posse dimittere : itaque miseri , dum in Petro petram non intelligunt , et nolunt credere datas Ecclesiae claves regni coelorum , ipsi eas de manibus amiserunt.

5. Ab haereticis , non alias agnoscentibus Poenitentiae partes , quàm terrores incussos conscientiae , agnito peccato , et fidem conceptam ex Evangelio , vel absolute , qua credit quis sibi per Christum remissa peccata , oculos , verba , mentemque procul avertimus.

6. ; Utrumne mortificationem , seu vitiosarum passionum refraenationem , studiumque bene vivendi , quas , et quo sensu tanquam materiales Sacramenti Poenitentiae partes adserunt Calvinistae , trademus nos ipsi ? imò nihil magis à nostra abest doctrina.

7. Tunc praecipuè Poenitentiae Sacramentum dicimus institutum , cum Christus Iesus post resurrectionem insufflans in Discipulos suos , ipsis haec verba fecit : *Accipite Spiritum Sanctum : quorum remiseritis peccata cet.*

8. Sacramentum Poenitentiae lapsis post Baptismum in re , vel in voto

saltem implicito , necessitate mediæ ad salutem est quidem necessarium.

9. Per Sacerdotum sententiam peccatores non semel , sed quoties ab admissis peccatis ad sacrosanctæ Poenitentiae tribunal poenitentes confugerint , possunt liberari. En unico flatu dissipatos Novatianos.

10. Putida est Lutheranorum cavillatio , qua falsò , et haeticè adstruunt, remissa culpa per Poenitentiam , remanere aeternae poenae reatum. Non tamen inficiamur manere plerumque temporales poenas luendas.

11. Catholico cuique intimè debet esse persuassum , attritionem , seu dolorem de peccatis ex solo gehennae metu conceptum , etiamsi non sit hic satis efficax , ut peccandi voluntatem excludat , modò tamen ad id conetur , et inducat , nec sit serviliter servilis , bonum , honestum , utilemque esse , nec hominem facere magis peccatorem , aut hypocritam.

12. Omni dubio remoto , Sacramentalis Confessio est omnibus post Baptismum lapsis iure divino necessaria. Ecce iugulata eorum temeritas , qui auricularem confessionem , ut carnificinam cruentissimam , rem admodum pestilentem, ac Ecclesiae noxiam , auferendam è medio propalant.

13. Solus Sacerdos , cui credita est dispensatio divinatorum mysteriorum , minister est legitimus Confessionis Sacramentalis ; modò ultra Ordinis potestatem, adsit iurisdictio.

14. Casus quosdam reservandi potestatem , nullus qui catholicè sapiat , Ecclesiae Christi potest denegare.

SCHOLAE POSITIONES.

1. Non uno , sed variis apud Theologos *Poenitentiae* vocabulum exprimitur characteribus : illa praecipua , ceterisque dignior consideratio , qua ut virtus, et Sacramentum usurpatur. Atque ut à facillimis ordiamur; haec est poenitentiae, quatenus virtus est, tenenda notio: *Virtus, qua commissa à nobis scelera detestamur, ac praemissa certa , firmaque deliberatione pravas consuetudines , corruptosque mores emendandi , eadem sponte vindicamus in compensationem iniuriae Deo illatae.*

2. Verae , propriaeque virtutis iure Poenitentiam gaudere , nemini seriò dubitare conceditur.

3. Virtutem hanc cum ceteris ineptè confundes , peculiare namque ab aliis virtutibus sibi vindicat obiectum.

4. Ecce tibi , quam trado , Sacramenti Poenitentiae notitiam : *Novae legis Sacramentum à Christo Domino institutum , quo fidelibus post baptismum lapsis verè poenitentibus , et confessis , vi clavium , et potestatis Ecclesiae absolutio Sacerdotalis impenditur.*

5. Post baptismum perpetrata flagitia , ut detestanda , penitusque abolenda , sunt mihi inviolatè tenenda remota huius Sacramenti materies : cordis verò contritionem , peccatorum confessionem , satisfactionem denique , ceu totidem internas poenitentiae partes complector.

Re-

6. Recusanda ergo manus impositio , tamquam proxima Sacramenti Poenitentiae materia.

7. Haec , quam tueor , conveniens est , atque legitima Sacramenti Poenitentiae forma : *Ego te absolvo à peccatis tuis* cet.

8. Non omnia , quae in laudata forma assignantur , verba , sed priora solummodo , scilicet *absolvo te* , veram , et integram illius essentiam constituere videntur.

9. Sensum horum verborum *absolvo te* non satis attingunt , qui censent eis tantum indigitari poenarum relaxationem , praeterea nihil.

10. A veritate mihi videntur discedere , qui Sacerdotem per verba absolutionis declarare solum peccata esse condonata , non verò ea vere remittere , arbitrantur.

11. Eam semper mordicus retinebo sententiam , quae enuntiativam formam in Sacramento Poenitentiae omnino requirit , atque simpliciter deprecativam insufficientem pronuntiat ; neque opinioni meae quidquam iacturae ab antiquis monumentis pertimescendum.

12. Nequit per Poenitentiam peccatum unum lethale expiari , alio non remisso.

13. Peccata semel per Poenitentiam remissa , per subsequens peccatum simpliciter non redeunt , sed tantum secundum quid.

14. Infusae virtutes mortali noxa amissae , per subsequentem Poenitentiam iterum restituuntur.

15. Bona opera ab homine sanctificante gratia decorato peracta , atque persequens peccatum mortificata , per Poenitentiam rursus reviviscunt.

16. Ut de singulis Poenitentiae partibus aliquid dicamus , à contritione , quae primordiale , excellentioremque inter illas occupat locum , rem auspiciemur. Est igitur contritio ex Tridentinis Patribus : *Animi dolor , ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero.*

17. Ut vera , et sincera sit contritio , supernaturalis esse debet ; ad eamque dolor , odium peccati , ac melioris vitae propositum necessario requiruntur.

18. Necessaria item est contritio necessitate nedum mediis , sed et praeceptum naturalis , tum Divini positivi , tum etiam Ecclesiastici.

19. Optimum illius consilium plurimum debet commendari , qui peccatori consuleret statim post peccatum conteri ; at si quod res est , fateamur ; praeceptum contritionis obligans per se statim ac commissum est peccatum , nullum equidem adinvenies.

20. Neque statim ac peccatum memoriae occurrit , imò nec singulis diebus Dominicis , et Festis contritionis praeceptum obstringere existimo : qui verò eius adimplerem nimium differret , hic certè foret culpandus.

21. Potest Inferni metus , modò efficax ille sit , fugare privativè se solo , et voluntatem , et affectum actualem peccandi.

22. Capere non valeo , non sufficio , ad gratiam in Sacramento Poenitentiae consequendam requiri contritionem caritate perfectam , prout plerisque viris probatur.

Sen-

23. Sententia propugnans necessitatem amoris *initialis* ad iustificationem in Sacramento Poenitentiae obtinendam , nulla potest atra censura notari , quemadmodum nec opposita.
24. Eadem sententia adstruens necessitatem amoris *initialis* , toto coelo distat ab haereticorum doctrina in Sacrosancto Tridentino Concilio anathemate confossa.
25. Tridentina Synodus decreto lato ses. 14. nullatenus edixit , attritionem servilem ab *initiali* amore seiunctam , sufficienter disponere ad gratiam cum Sacramento recipiendam.
26. Sententia , quae ad fructum huius Sacramenti percipiendum exigit *initiali* amorem , Tridentino Concilio , Sacris litteris , Patribus , ipsi etiam rationi conformis est , ac plausibilis , et Theologorum plurium fulcta praesidio.
27. Ad secundam Poenitentiae partem , confessionem scilicet accedentes , eam sic definimus : *Accusationem legitimam peccatorum factam Sacerdoti competenti ad veniam virtute clavium obtinendam.*
28. Notissima res est , praeceptum vigere Ecclesiasticum , quo mortalia peccata confiteri adstringuntur omnes post Baptismum lapsi : ⁊ quid verò de iis , qui aut infideles sunt , aut venialia dumtaxat commiserunt ? neque Divino , neque Ecclesiastico praecepto ad sacramentalem confessionem ullatenus obligantur.
29. Quilibet poenitens mortis occupatus articulo , à quolibet Sacerdote quamvis excommunicatus , degradatus , aut haereticus hic sit , potest absolvi.
30. Impertienda est absolutio illi , qui postquam Confessarium anxie expetivit , deditque contritionis argumenta , Sacerdote adveniente , loquendi facultate , atque exteriori sensu fuerit destitutus.
31. ⁊ Quid verò agas probo , frugique viro , qui nullo Poenitentiae praemisso signo , in exitu mortis constituitur , extremumque diem claudere apparet ? visceribus misericordiae eum prosequere , absolutionemque conditionatè impertire ; sic enim , ut puto , sacrum ministerium non temeratur.
32. In animum inducere nequeo , què possit valida esse confessio quantum ad Sacramenti substantiam , quae sit simul informis.
33. Materialis confessionis integritas non est semper ad Poenitentiae fructum assequendum necessaria ; potest ergo quandoque ex iusta , et rationabili causa aliquod peccatum praetermitti , illaeso , et inviolato confessionis valore.
34. Teneo quoque , fidenterque pronuncio , peccata , quae post maturum , ac deliberatum scrutinium memoriae occurrunt ut dubia , eo modo Confessori esse enuncianda.
35. Mortali peccato innodatur , qui nullo fretus motivo , universali Ecclesiae praxi reclamante , scripto , aut nutibus , et non voce propria praesenti Sacerdoti confitetur.
36. Qui gravi aliqua causa praepeditus , non valet voce propria sua exprimere peccata , tenetur quoties urget confessionis praeceptum , scripto , si possit ; si verò non , nutibus , aut signis illa aperire.
37. Illicita est , certòque invalida confessio facta per litteras , aut Internuncium Sacerdoti absentem , et in absentia absolventi.

38. ¿Validane confessio erit, si Sacerdos praesens adstiterit poenitenti, qui suam in absentia expresserat peccata? ¿ poteritne in hoc casu absolutionis largiri solatium? neutrum penitus.

39. Sexdecim condiciones ad validam, simulque fructuosam peccatorum confessionem requisitas numerat D. Ang. cuius doctrinae insistentes, eas placida, brevique oratione persequemur.

40. Iure naturali, divino, atque humano ligatur Sacerdos quolibet casu, sive directè, sive indirectè celare peccata eius curae in Confessione Sacramentali commissa, nisi adsit expressa, et spontanea poenitentis licentia.

41. Discutienda tandem superest postrema Poenitentiae pars, quae satisfactio nuncupatur, quaeque definitur: *Compensatio iniuriae Deo illatae secundum iustitiae aequalitatem.*

42. ¿ Ecquis, nisi mendaciis pasci delectetur, aequo animo ferat Lutheranos, atque Calvinistas effutientes satisfactiones respectu Ecclesiae tantum, et ad solam proximorum aedificationem esse taxandas? verè nullus, cum vel lippis pateat, non ad hoc solum, sed etiam ad iniuriam Deo per praecedentia peccata illatam reparandam, et temporalem mulctam luendam esse summopere necessarias.

43. Non modò iure gaudet Sacerdos, verùm et obligatione tenetur imponendi congruentem satisfactionem sacramentaliter confessis.

44. Nullo praecepto adigitur poenitens, impositam sibi satisfactionem ante absolutionem adimplere, nec huius beneficio poterit per se loquendo hac de causa à confessario privari.

45. Sub peccati gravamine obligatur poenitens iniunctam sibi à confessario pro expiandis peccatis poenitentiam rationabilem acceptare, et complere; idque sive sit in vindictam praeteriti, sive in medellam futuri.

46. Agnoscat poenitens, necesse est, se gravi implexum noxa, impositam satisfactionem implere nullo pacto posse, si ex culpa actu, vel affectu procedat.

47. ¿ Eritne satisfactorium opus ab homine misero adhuc peccati reatu involuto, sed tamen deposito pravo affectu ex gratia actuali operante productum? ita quidem mihi persuasi.

48. Ipsius satisfactionis exigit natura, ut per opera perficiatur poenalia.

49. Praesentis vitae flagella, quae, ut Tridentinum loquitur, maximum amoris Dei exprimunt argumentum, haud infimum tenent locum inter opera satisfactoria, si patienter tolerantur.

Extremae unctionis Sacramentum.

ECCLESIAE DOGMATA.

1. Extrema Unctio, quae tanquam Christianae poenitentiae perfectio, et complementum à Christo Domino fuit instituta, tantum abest, ut sit ritus ab hominibus gratis confictus; quin potius verum, propriumque novae Legis Sacramentum à catholico quoque debeat haberi.

2. Remota Sacramenti huius materia est oleum ex olivis expressum, atque

ab Episcopo consecratum ; ridet Calvinus ? ecce nos momentorum pondere in medium adducto os eius petulans occludemus.

3. Tamquam ex falso principio fluentem inficiamur illorum consecutionem, qui nullam formam in hoc Sacramento adhibendam contendunt ; est enim aliqua apponenda.

4. Facili negotio eorum linguas ad fauces haerere cogemus , qui non solos Sacerdotes , sed et aetate seniores Extremae Unctionis esse ministros , probare nituntur.

5. Ergo Episcopi facultate hoc Sacramentum administrandi funguntur. Qui huic positioni resistit , ceu fungus stupidus est contemnendus.

6. Non rationibus , sed fustibus arguendus ille , qui Extremae Unctionis Sacramentum arroganter , temerèque contempserit.

SCHOLAE POSITIONES.

1. Extrema Unctio variis indicata nominibus , sequenti diffinitione poterit concludi : *Sacrum , et mysticum signum à Christo institutum , quo per unctionem olei benedicti , et orationem , seu formam praescriptam baptizatis aegrotantibus confertur gratia sanctificans , eosque confortans , ut aequo animo ferant morbi molestias , frangentque Daemonis insidias , et impetus ; necnon , si illis expediat , liberentur ab infirmitate , corporisque languore.*

2. Unctio , seu olei applicatio facta à Sacerdote tamquam proxima huius Sacramenti materia tibi erit habenda.

3. Si prisca saecula attentè inspiciamus , non unam , sed diversam prorsus circa partes corporis inungendas viguisse consuetudinem , absdubio comperiemus.

4. Num quinque , quae in Ecclesia servantur , unctiones ad Sacramenti validitatem pertineant , necne , magna utrinque probabilitate disputatur ; si tamen litem definire cogimur , in affirmantem opinionem libentissimè iuramus.

5. Iure , optimoque ducta consilio praescripsit Ecclesia foeminas non esse inungendas media abdominis regione.

6. Accommodatior mihi est , longèque congruentior huic Sacramento forma per modum deprecationis prolata , cuiusmodi est illa , quam in praesenti servant Latinorum Ecclesiae ; negantium tamen adsertio non omni robore destituitur.

7. Venialium , aut mortalium peccatorum remissio frustra assignatur princeps Sacramenti Extremae Unctionis effectus.

8. Est igitur gratia roborans animam adversus peccatorum reliquias : alleviatio , et pristinae valetudinis , si animae expediat , restitutio fructus illius secundarius.

9. Varia fuit circa Sacerdotum hoc Sacramentum ministrantium numerum praeteritis saeculis Disciplina , sed illorum unum dumtaxat sat esse , probabilius existimamus.

10. Neque pueris antequam ad rationis usum perveniant , neque iis , qui perpetua laborant amentia , Sacramentum hoc debet conferri.

11. Hi tamen , qui nonnumquam aliquam habuere rationis scintillam , salu-
tari hoc humanae infirmitatis clypeo non sunt privandi : de pueris discursum
sapien- tibus idem iudicium.

12. Non sanis , sed gravi decumbentibus infirmitate Sacramentum hoc est
conferendum : eos tamen probare nequimus , qui id tempus expectare solent,
quo aeger est sensibus destitutus.

13. Laudabilis est , et antiquissima Ecclesiae Romanae consuetudo , quae
Eucharistiam praemittit Extremae Uctioni : oppositam tamen usurpantes non
sunt redarguendi , cum plurimis vetustatis exemplis foveantur.

14. Theologorum nec vel unum invenies , qui non asserat , hoc Sacramentum
non esse necessarium necessitate illa , quae medii adpellatur.

15. Parochorum est invigilare , ne fideles hoc Sacramento privati , diem
claudant supremum.

16. Num Parochus grassante pestilentia cum propriae vitae periculo hoc Sa-
cramentum sibi commissis infirmis teneatur conferre , dubiolum est à nobis in cir-
co resolvendum.

17. ; Quid si infirmi pristinas vires recuperent , iterumque deinde decum-
bant ? iterum Sacramenti huius subsidio poterunt adiuvari.

Sacrae Ordinationes.

ECCLESIAE DOGMATA.

1. ; Proh scelus ! Pulchram illam , sacratissimamque Ordinationem , qua sa-
cri in Ecclesia inaugurantur Ministri , meram electionem esse , aut caerimoniam,
hodierni fingunt haeretici ; ast eorum blasphemiam optimè profligarunt Tridentini
Patres , qui can. 3. sess. 23. illam inter novae Legis Sacramenta numerandam
scripsere.

2. Maximum , praecipuumque locum sacros inter Ordines Presbyteratus nan-
ciscitur : unde ore profectò vaniloquo mendacium iactat turba illa Novatorum
pessima , qui Presbyteros soli verbi ministerio addictos putantes , à Sacrificio le-
ge hac nova supremo Domino offerendo segregarunt.

3. Novi Testamenti Sacerdotibus remittendi , retinendique peccata faculta-
tem concedi ita comperta res est , ut de ea vel minimùm dubitare , horrendum
sit nefas.

4. Ordinaria Ecclesiae ministros ordinandi potestate gaudent Episcopi , qui-
bus haec cum reliquis Presbyteris non est quidem communis.

5. Honorum , Dignitatumque ambitione nonnulli correpti , Sacerdotii con-
summationem , et apicem , Episcopatum nempe , Presbyteratu Divina institutione
superiorem esse negarunt ; sed alios quaerant sibi simillimos , quibus tam in-
sulsum errorem obtrudant.

SCHOLAE POSITIONES.

1. Hoc Sacramentum , quo homines in sortem Domini vocantur , eiusque mancipantur ministerio , pereleganter à Tridentinis Patribus elucidatur hisce verbis : *Sacramentum novae legis à Salvatore nostro institutum , quo traditur potestas consecrandi , offerendi , ac ministrandi corpus , et sanguinem eius , necnon Sacerdotio ex officio deserviendi.*
2. Ecclesiasticis monumentis bene multis nobis compertum est , septem ab initio ad haec usque tempora Ordines constanter obtinuisse in Latinorum Ecclesia ; huncque septenarium numerum nec quorundam aliorum recensio , nec dissidium Theologorum poterit ratione aliqua , quae fide sit digna , labefactare.
3. Clericalis tonsura , qua Clerici secernuntur à laicis , et in altiori prae illis dignitatis fastigio constituuntur , in sacrorum Ordinum choro immeritò connumeratur , cum praeambula sit tantùm dispositio ad illos condignè recipiendos.
4. Inter plurium discordantium placita verius iudicatur , tonsurae Clericalis ritum perantiquum esse , atque ad Apostolorum aetatem referendum.
5. Iustis semper encomiis efferam eos , qui in singulis quatuor minoribus veram Ordinis rationem , veramque Sacramenti dignitatem agnoscunt.
6. Nullam sibi poterunt conciliare fidem , qui à Sacramentorum novae legis natura removent Subdiaconatum , cum robustissimis suadeatur momentis , ad Sacramentorum album esse referendum.
7. Diaconatus quoque verum est Sacramentum , Ordoque sacer , ac Hierarchicus : qui in contrariam abeunt sententiam , vitreis certè ducuntur argumentis.
8. In gravem incidis hallucinationem , si antiquam Diaconissarum institutionem aliquam sibi vindicasse credas veri , propriique Ordinis , aut Sacramenti rationem ; nullum etenim ipsis Sacramentale munus erat demandatum.
9. Circa Diaconissarum , Subdiaconissarum , Episcoparum , et Presbyterarum ortum , ministeria , conditiones demum , quibus ornatae esse debebant , si delectaris , nec iniucundam , nec molestam narratiunculam contexam.
10. Episcopatus inadequatè sumptus , prout simplici Sacerdotio specialem aliquem superaddit modum , nullatenus est Ordo ab eo distinctus , sed illius tantùm extensio , atque perfectissimum complementum.
11. Essentialis Presbyteratus materia , et forma , de quibus magnum inter Scholasticos dissidium , est calicis cum vino , et patenae cum pane traditio cum his verbis : *Accipe potestatem cet.* ; ad eorum ergo partes accedimus , quibus manuum impositio cum his aliis : *Accipe Spiritum Sanctum cet.* accidentaliter est materia , et forma ? minimè ; sed ex utraque totalis , et integra materia , et forma coalescit.
12. Legitima , atque genuina materia , et forma Presbyteratus , quas usurpant Graecorum Ecclesiae , sola est manuum impositio cum his verbis : *Divina gratia cet.*
13. Circa materiam , et formam aliorum Ordinum , brevitati studentes , diutius

tius

tius non immoramur ; idcirco probè nos facturos arbitramur , si quae dilucidè admodum pertractat eruditissimus Billuartius , ad palatum vestrum expendamus.

14. Ordinationes ab Episcopo aut intruso , aut haeretico , aut schismatico factas validas profitemur , modò aliunde necessaria earum valori serventur.

15. Episcoporum Ordinationes in Anglia secundum Rituale Eduardi VI. à Pseudo-Synodo approbatum factae , vanae sunt , elumbes , prorsusque invalidae.

16. Potest Apostolica Sedes Presbyteris Episcopali caractere non insignitis facultatem conferendi Tonsuram , et quatuor minores Ordines concedere : ; igitur simplex Sacerdos extraordinarius esse valet horum Ordinum dispensator? optima illatio.

17. Debet unusquisque à proprio Episcopo ad sacros Ordines promoveri ; ex eius tamen concessione poterit alter hoc munus obire.

18. Omnium cachinnis excipiendus Lutherus , dum foeminas Sacramenti Ordinis capaces ausus est stupidissimo errore proferre.

19. Insufficiens est , prorsusque ineptus homo sacro baptisate non regeneratus Sacramento Ordinis suscipiendo.

20. Infantes possunt quamoptimè in sacros Ordines cooptari , ac Sacerdotali caractere potiri.

21. Clerici omnes , quin ullum excipere valeas , in Occidentali Ecclesia maiorum Ordinum initiati mysteriis , ab Episcopo ad Subdiaconum usque , perpetuae adstringuntur continentiae ; ita ut à suscepto Ordine nec connubium inire possint , neque ante Ordinem contracto amplius uti.

22. Haec continentia Ordini sacro non naturali iure , nec Divino , sed Ecclesiastico tantum est annexa.

23. Salubri consilio , aequissimaque ratione viros sacris ministeriis mancipatos per Ordinum maiorum susceptionem voluit Ecclesia perpetuam servare continentiam ; Proh Deus ! quantum haec distant à Novatoribus , qui libidinibus pasci , vescique amantes , legem hanc velut iniustam , tyrannicam , verbo Dei , ipsique naturae contrariam traducunt.

24. Consuetudine ab exordio Ecclesiae observata , et Canonum auctoritate firmata , plurium Episcoporum praesentia necessaria est ad licitam , canonicamque electi ordinationem : ad valorem autem unum sufficere putamus.

Sacrum Coniugium.

ECCLESIAE DOGMATA.

1. Matrimonium ad publicum vitae commodum , Christianaeque Reipublicae utilitatem fuit institutum : ergo res mala , et illicita non est , ut somniarunt haeretici , sed bona , licita , prorsusque honesta.

2. Matrimonium non est solum rei sacrae Symbolum , sed signum gratiae efficax , adeoque proprii nominis Sacramentum ; idque tam obvium , et cuique perspicuum , ut nesciam , qua fronte adversentur A catholici.

3. Ab Evangelicae legis aetate irrita , et illicita est Polygamia ; in eamque

veritatem firmandam Sacra Scriptura , Patres , et iura unanimi voce conspirant.

4. Somniavit dubio procul minister diaboli Montanus , dum quascumque nuptias post prioris Matrimonii dissolutionem contractas , ut invalidas , et illicitas traduxit.

5. Adeo bene contextum , firmiterque dispositum est sacri coniugii vinculum , ut in gratiae Lege nequeat dissolvi vel adulterii , vel unius coniugis fornicationis causa.

6. Solemnem alterius coniugum in Religione approbata professionem Matrimonii rati non consummati dissolvere vinculum , apertissimis SS. Pontificum , et Tridentinae Synodi constat oraculis.

7. Haec Catholicorum unanimes est vox , et doctrina , à quibus nos separabit nullus , votum scilicet Religionis dirimere Matrimonium subsequens.

8. Alias praeter adulterium divortii causas agnoscimus , licet in saevam rabiem erumpant haeretici.

9. Penes Ecclesiam solam ius residet , et auctoritas impedimenta Matrimonii statuendi ; intellige de Matrimonio quatenus ad Sacramenti dignitatem est evectum.

10. Ergo et eiusdem in Matrimonii impedimentis dispensare proprium est munus.

SCHOLAE POSITIONES.

1. Matrimonium nihil aliud indicat , quàm viri , et mulieris perpetuum , ac sacrosanctum vinculum ad gignendas , fovendasque proles ordinatum : hinc si id ut naturae officium consideres , rectè dixeris : *Viri , mulierisque coniunctionem maritalem inter legitimas personas individuum vitae societatem retinentem* ; quibus , si desideres Sacramenti notionem , haec addenda ; *et gratiam coniugibus conferendam significantem*.

2. Indissolubilis nexus ex mutuo resultans contrahentium consensu , essentiam Matrimonii in facto esse , ut Scholasticis loqui probatur , peraptè constituit.

3. Matrimonium iuri naturali consentaneum est , optimèque ipsi cohaeret.

4. Cadit Matrimonium recto aliquo sensu sub praecepto naturae ; non ita tamen , ut quemquam in particulari , sed ipsam directè obliget communitatem.

5. Matrimonium inter absentes contractum , sive per Procuratores , sive per litteras , sive per nuntios , modò praescriptae serventur conditiones , ratum , validumque existimamus non solùm in ratione contractus , verùm et in ratione Sacramenti.

6. Ubi , quisnam sit Sacramenti Matrimonii minister , cogimur definire ; non admodum leve hoc esse negotium fatemur ; pugnant enim pro Sacerdote benedicente strenui , doctissimique Theologi ; pro contrahentibus verò nobilissima gravissimorum cohors virorum : nos tamen hisce cum Angelico Praeceptore adhaeremus.

7. Remota Sacramenti huius materia non alia est , quàm ipsa contrahentium corpora : proxima autem ipsorum verba , prout mutuam corporum traditionem,

nem : forma demum sunt eadem , prout acceptationem traditionis manifestant.

8. Optima est haec in iure expressa sponsalium definitio : *Futurarum nuptiarum mutua promissio , aliquo signo sensibili manifesta*. Conditiones requisitas elucidabimus in arena.

9. Clandestina sponsalia nulla lege irritantur ; ergo post Tridentinum valida pronuncianda ? sequelam probamus.

10. Septenium est tempus à iure ad ineunda sponsalia congruè , aptèque statutum.

11. Sponsalia ante usum rationis contracta omni penitus robore destituuntur. ; Quid si paulo ante septenium sufficiens ratio ad contrahenda sponsalia illucesceret ? ; poterunt illa validè iniri ? affirmans sententia nobis magis arridet.

12. Potentia extraordinaria valet efficere Deus Matrimonii vinculum absque mutuo coniugum consensu : ad id verò omnis humana potestas impar omnino, prorsusque insufficiens.

13. Matrimonium reapse contrahitur per interiorem viri , mulierisque consensum ; nec verba exterius prolata sufficiunt : ceterum internus illorum consensus per verba , aut signa de praesenti est certè exprimendus.

14. Irritum positivo iure , non naturali dicimus Matrimonium ex gravi metu à causa libera , et ad extorquendum consensum iniustè illato , contractum.

15. Certissimum est , non pertinere ad Matrimonii substantiam , ut coniuges actu se mutuò agnoscant carnali commercio ; imò nec necessaria est in id explicita consensio , ut validus sit contractus matrimonialis.

16. Initum absque Parentum consensu sacrum coniugium nec naturali , nec Divino iure irritum censetur.

17. Congruenter admodum assignantur tria bona *Proles , Fides , et Sacramentum* , quibus excusatur Matrimonium , plenèque sanctum , ac iustum redditur.

18. Uxorum pluralitas non primariis , sed secundariis tantum Matrimonii finibus adversatur.

19. Postdiluvianis hominibus Polygamiam licuisse ex dispensatione divina, totis lacertis est nobis vindicandum , ne in sanctissimos iuxta , ac aequissimos Patriarchas iniurii videamur.

20. Matrimonium omne verum , atque legitimum divino iure , consummatum verò iure naturae est indissolubile.

21. Personae errorem iure naturae matrimonium dirimere , nobis est persuassum.

22. Simplex castitatis votum impedit matrimonium licitè contrahendum , nullo modo initum dirimit.

23. Cum Ang. Praecep. sustinebimus solemne Religionis votum non solum Ecclesiastico , verum et naturali iure dirimere subsequens matrimonium.

24. Validissimis ducti testimoniis adserimus, Ordinem Sacrum ex probatissima Ecclesiae constitutione subsequens matrimonium infirmare, prorsusque destruere.

25. Clandestina connubia ante Tridentini decretum nec ex rei natura , nec Ecclesiastico iure fuerunt invalida.

26. Fatemur tamen clandestina matrimonia omni prorsus aetate detestatam fuisse Catholicam Ecclesiam.

27. Potestatis ergo suae limites nequaquam fuit praetergressa Tridentina Synodus, optimèque se gessit, nulla et irrita declarans clandestina matrimonia; igitur non solum sunt nunc noxia, et illicita, sed etiam penitus nulla.

SCRIPTURA SACRA.

VETUS TESTAMENTUM.

Genesis.

1. De firmissimo Catholicae Religionis praesidio, quo petulantium ingeniorum protervia retunditur, sacratissimo, inquam, verbo, Omnipotentis digito consignato sigillatim acturi; à Geneseos libro, velut ab ovo oportet auspicari. Huncce non minus, quàm Exodum, Leviticum, Numeros, ac Deuteronomium eruditissimi Historici, insignis Poëtae, eximii Philosophi, perfectissimique Legislatoris Moysis habere salivam, ita firmum, atque inconcussum, ut nulli sanè fas sit in dubium revocare.

2. Ast si tempus, quo Pentateuchum litteris mandarit, perscrutamur, digladiantes invenimus auctores, quorum relatis in arena opinionibus, probabiliorum amplectemur.

3. Verbum illud *in principio*, à quo suam clarissimus Scriptor orditur Historiam, triplicem hanc pati expositionem, *in exordio nempe rerum conditarum; ab aliquo temporis initio; in filio sibi coaeterno*, apertissimis antiquorum Ecclesiae Patrum testimoniis comprobatur, quorum partibus libenter adhaeremus.

4. Per Dei spiritum, qui ferebatur super aquas, tertiam intellige Sanctissimae Trinitatis personam, si omnibus ferme tam Graecis, quàm Latinis Patribus expetis amicè copulari.

5. Divina abutens auctoritate Peyrerius, alios ante primum totius humani generis Parentem Adamum in vacuo cerebro homines fabricavit, qui vel levisimo flatu in fumos abeunt, imò in nihilum rediguntur.

6. Amoenissimum, foecundissimumque hortum omni prorsus ligni, arborumque genere consitum, Paradisi nomine intellectum, plantavit misericordiarum Pater, qui et Protoparentem nostrum in eo reapse collocavit: à Philone ergo, ac Origene allegoricè illum intelligentibus fugito quàm longissimè.

7. Humanae mentis caligat acies, ubi Paradisi situm tentat investigare; ita obscura res haec est, atque densissimis tenebris immersa! quapropter probè nos facturos putamus, si nulli accedentes, plurimas inter se discrepantes opiniones referamus.

8. Adamitici Paradisi locus etiamnum quidem extat; primaeva tamen venustate, arborum copia, atque fecunditate foedata, imò diluvii aquis omnino deleta.

9. Ex terrae limo Adamum, ex istius autem costa Evam, eamque in voluptatis Paradiso, illum verò foris efformavit Deus.

10. Non metaphoricò, et parabolicò, sed naturali, Historicoque sensu intelligenda haec sunt, quae de mulieris productione sacra refert Scriptura.

11. Vero utens serpente , non interna suggestionem , quemadmodum Caietano placuit , parentem nostram Angelus Satanae decepit.
12. Ut Evae lacrymas abstergeret totius consolationis Deus , serpentis caput conterendum esse promisit. ; à quonam verò ? triplicem hac de re in sacris codicibus invenimus lectionem , quas et aperire , et singulas verum exhibere sensum , ad nos pertinere arbitramur.
13. Naturae dumtaxat instinctu sacrificia Domino Cain , et Abel obtulisse , non desunt , qui tueantur : ast à Deo praeceptum accepisse , rectius iudicamus.
14. Inter veteris testamenti Martyres Abelem primum occupare locum , et illorum Proto-martyrem appellandum , nemo unus audebit inficiari.
15. Libero arbitrio evertendo , atque ex hominum mentibus eliminando Calvinus semper intentus , quarti capitis verba , *sub te erit appetitus eius , et tu dominaberis illius* , ad Abelem , non ad peccatum finxit esse referenda , sed quàm inscitè !
16. Statutam à Deo monogamiae legem primus ante Diluvium violavit Lamech , qui ab omnibus , ceu Divini praecepti transgressor , iure optimo condemnatur.
17. Sethi filium Enosum Dei nomen invocare coepisse , Divina testatur Scriptura ; quod non eo equidem pacto debet intelligi , ut nullus ante ipsum supremo Domino exhiberetur cultus , sed eo sanè , ut maiori , excellentiorique , quàm antehac , studio , ac pietate hunc exercuerit , ac certos ritus , caerimonias , solemnesque precum formulas adinvenit.
18. Antediluvianorum hominum annos nostris minimè pares , sed multò contractiores esse , nonnulli , haud bene libratis rationum momentis , autumant , quorum stupidum ridemus errorem.
19. Luculentissimum ex Sacra Scriptura , Sanctisque Ecclesiae Patribus eruitur argumentum , quo primum Parentem Adamum perpetrati criminis poenitentiam egisse , aeternamque fuisse consequutum salutem , invictissimè demonstratur. Felici hac sorte donatam quoque Evam , piè , ac verisimiliter profitemur.
20. Ex tribus hisce Noe filiis Sem , Cham , et Iaphet , illum natu maiorem censemus.
21. Sethi posterii Caini filiarum pulchritudine illecti , matrimonia , quae tanto prius aversabantur horrore , cum iis inierunt tandem , pravaque ducti consuetudine , ab avita pietate degenerarunt. Et en versus capitis 6. expositionem , quae nobis unicè apparet germana.
22. Genesis 6. v. 3. verbis hisce : *Eruntque dies illius centum viginti annorum* ; non vitae duratio , sed temporis ante Diluvium hominibus ad poenitentiam agendam concessi intervallum circumscribitur.
23. De Arcae magnitudine , significatione , atque animalibus , quae in eam ingressa fuere , dum volueris , sermonem instituemus.
24. A 70. Interpretum calculis , qui vitiantem senserunt manum , procul recedimus , Hebraicique textus Chronologiae ita adhaerescimus , non secus ac polypus ad saxum.

25. Universam terrarum molem , non Palaestinam tantum , anni integri Solaris , vel Lunaris , decemque dierum spatium Diluvii aquae tenuerunt. Quo pacto autem id computari debeat , in arena.
26. In ebrietatem , hausto nimium vino , incidit Patriarcha Noëmus , quem non solum à mortali crimine , sed et ab omni prorsus immunem fuisse , acriter propugnamus.
27. Babelicam turrim construentium temeritatem , superbumque fastum linguarum confusione iustissimè punivit ultionum Deus.
28. Hanc quidem , hominumque in universas Orbis Regiones dispersionem sub Phalego Patriarchae Heberis filio contigisse , constans est omnium sententia ; Ast quonam vitae anno ? opinioni illi , quae in ipsius nativitate haec accidisse refert , libentissimè subscribo.
29. Cainanem Semi nepotem , tanquam planè supposititium , ex Patriarcharum serie expungendum , eruditissimi viri contendunt : at in illorum chorum admittendum fore , gravissima nobis suadent rationum momenta.
30. In implexam , plurimisque foetam difficultatibus propendemus adserentem sententiam , anno , scilicet Patris sui Thare 130. natum fuisse Abrahamum ; utpote qui opinionem alteram , anno 70. ortum esse tenentem , innumeris verpibus , sentibusque laborare sciamus.
31. Pristinam sedem relinquere , propriamque , et cognationem , et Patris domum deserere à Domino iussus est Abraham , qui non in Haram , sed in Mesopotamia , vel in Ur Chaldaeorum hocce suscepit praeceptum.
32. Uxori suae Sarae , eam sororis titulo adpellans Abrahamus , nec mendacium suavit , nec eandem prostituit , nec in adulterii coniecit discrimen.
33. Turpiter errant , miserèque hallucinantur , qui Melchisedechum non hominem , sed Spiritum Sanctum , aut Divinam virtutem , aut ipsum Dei filium , aut Angelum fuisse comminiscuntur.
34. Non unum , eundemque credimus Melchisedechum , et Semum ; sed omnino ab invicem differre , constanter adseveramus.
35. Fuit ergo Rex Salem , qui panis , et vini oblatione corporis , sanguinisque Christi in Eucharistia sacrificium adumbravit.
36. Non effraeni libidini indulgendi causa , sed ut filios sibi procrearet , ancillae suae Agari copulatus est Abraham , quem adulterii labe aspersum praedicant Heterodoxi ; sed quàm frustra , ignorat nemo , qui legerit vel tantillum.
37. Non tantum ad seminis Abrahae à ceteris gentibus distinctionem , sed ad originale peccatum etiam delendum à Domino instituta fuit Circumcisio , quae ad octavum usque diem protrahebatur : causam sciscitaris ? in Palaestra.
38. *Masculus , cuius praeputii caro circumcisa non fuerit , delebitur anima illius à populo suo ; quod equidem non ad civilem , et temporalem dumtaxat ; sed ad aeternam mortem referendum est.*
39. Ad quercum Mambre Abrahamo apparuit Deus in tribus viris , quos et Angelos fuisse , et Sanctissimae Trinitatis exhibuisse figuram , nullatenus dubitamus.

40. Ad infamem, abominandumque Sodomitarum furorem expavescens Loth; binas filias eorum obtulit libidini, cuius sanè facinoris et animi turbatio, et religiosum hospites immunes conservandi studium de malitia quidquam remiserunt, sed penitus non extirparunt.

41. Nec gemina Lothi, in quam incidit, ebrietas, nec filiarum eius incestus, à culpa valent excusari.

42. Abraham, nato sibi Isaac, eoque ablactato, Agarem ancillam, et filium Ismaelem domo Sarae consilio expulit; nec quidquam proinde fecit iniustè.

43. Prompto, alacrique ad filium Isaac immolandum animo splendidissimum obedientiae exemplum praebuit Abrahamus, qui nec Aegyptios, nec quoslibet alios Ethnicos hac in re cognovit Magistros.

44. Inter cap. 23. v. 8. et Act. cap. 7. v. 15. et 16. haud facilis extricatu sese offert difficultas, cui aliquatenus enodandae, S. Stephanum non de emptio-
ne à Iacob cap. 33., sed de ea, quae ab Abrahamo facta hìc fuit, egisse, congruenter asserimus.

45. Gulae, perfidiae, Sacrorum contemptus, quin et simoniae labe se obstrinxit Esau, dum fratri Iacob vendidit primogenita: hicce verò nullo aut iniustitiae, aut quovis alio scelere se impiavit.

46. Fraude, mendacioque interveniente nullo, paternam benedictionem ab Isaaco accepisse Iacobum, gravissimorum Patrum, à quibus recedere sine stomacho non ferimus, auctoritate comprobatur.

47. Exurgens à somno Iacob, dum in Mesopotamiam ad fratris avertendam iram proficisceretur, tulit, quem capiti suo supposuerat, lapidem, erexitque in titulum, oleum desuper effundens, votumque Domino vovens, in queis nihil aut obiurgatione dignum, aut paganismi redolens stercorea reperire est.

48. Patriarcham Iacobum, eo quod quatuor acceperit uxores, satyrico perfricuerunt sale Faustus Manichaeus, eiusque premens vestigia Calvinus; quorum ora Magni Parentis Augustini doctrina ita obstruuntur, ut nec quidquam illi valeant amplius mussitare.

49. Cum Laban pactus est Iacob, ut omnes ovium, caprarumque, quas hicce pascebat, foetus nascituri, Labano, si unicolores; sin verò aliter, Iacobobo cederent, qui nec iniustitiae, nec superstitionis crimen admisit.

50. Labani odium, mordaces filiorum eius in Iacob calumniae, huicque praesertim impositum à Domino praeceptum triplex profectò discessus Iacob à socero causa designatur.

51. Vel in dotis compensationem, vel ut Idololatriae occasionem Patri subtraheret, ex auro, argentoque confecta simulacra secum Rachel asportavit.

52. Fugientem Iacob insequitur Laban, apud quem plenè illo purgato, amicitiae foedus iuramento constituitur.

53. Rediens ex Mesopotamia Iacob cum viro in itinere luctatur, quem non Dei filium, ut perperam quidam autumant, sed custodem illius fuisse Angelum, vero quam simillimum apparet.

54. In gratiam cum irato Esau humili submissione, munerumque oblatio-
ne

ne rediit frater Iacob, quem, quasi supra modum excesserit, vellicant Heterodoxi, quod nobis penitus ingratum.

55. Sichimitas ex circumcissione laborantes ob Dinae raptum, violationemque misserrimè Simon, et Levi trucidarunt, quos difficilius à multiplici absterges peccato, quàm nigerrimum dealbes aethiopem.

56. Iis in omnibus, quae 35. cap. de Iacobo narrantur, nec ullum infidelitatis in Deum, nec execrandae idololatriae, nec quemvis alium fas est invenire naevum, qui illi valeat adscribi Patriarchae.

57. Thamarem nurum suam, quam meretricem esse putabat, constupravit Iudas, à quo simplicis fornicationis, quemadmodum et ab illa incestus crimen non audeo dimovere.

58. Laudabilem Iosephi Patriarchae historiam, admirandaque Divinae sapientiae in eo patrata mysteria, dum per vos licuerit, texam perquam libenter.

59. Cunctae, quae cum Iacob in Aegyptum ingressae sunt animae ex eius femore prognatae, et LXVI. et LXX, et LXXV. in Sacra memorantur Scriptura. Quid inde? Quid inde? Secum hanc ipsam pugnare clamabimus? apage stultissimum opinandi modum; apparens enim antilogia est, quae Hieronymi, et Augustini doctrina, non secus ac Solis luce nebula, dissipatur.

60. Mortem sibi imminere perpendens Iacob, à Ioseph filio iuramento postulat, obtinetque in terra Chanaam sepeliri. Sed quid est, quod id tantopere concupierit? in agone aperiam.

61. Nihil sanè est ad effraenes, ac stolidas Iudaeorum cavillationes comprimendas validius, quàm quod morti vicinus Iacob protulit oraculum; *Non auferetur sceptrum de Iuda, et Dux*, cet. quo equidem et Messiam advenisse, et hunc Iesum fuisse Nazaraenum, ad oculum plenè convincitur.

Exodus.

1. Hactenus Mundi creationem, gentis suae Historiam, peregrinationem, atque in Aegypto mansionem, sed gloriosam, et sub Iosephi principatu quasi triumphantem descripsit Moyses: hinc verò miserrimam illius servitutem, afflictionem, versusque Chanaam egressum, à quo tanquam à praecipuo operis argumento liber hicce nomen accepit, aperire pergit.

2. Postquam vitae huius stadium Ioseph, eius fratres, omnisque illa cognatio decurrerunt, granorum instar de terra nascentium filii Israel germinarunt.

3. Foecundissima haec Hebraeorum propagatio non naturae dumtaxat, sed singulari Dei providentiae, auxilio, atque concursui est certè adscribenda: cave tamen, ad miraculum pertinere putes.

4. Israelitas in immensum excrescentes opprimere, penitusque delere tentavit novus Aegypti Rex, quem Armenophim fuisse, in decima octava Politanorum Dynastia septimum existimamus.

5. Licèt non diu ante, prius tamen dura illa servitus, quae tam vehementer Israeliticum populum exagitavit, incepisse dicenda est, quàm vitae limen Moyses attigerit.

6. 90. circiter annis , 10. scilicet ante Moysem , et 80. eo vivente, conflatae ab Aegyptiis aerumnae Israelitarum animos exercuerunt.

7. In Hebraeorum obstetricibus non mendacium , quo tyrannicum Pharaonis praeceptum fefellerunt , sed misericordia , qua illorum masculos à morte liberarunt , fuit à Domino praemium consequuta.

8. Elegantissimum , aspectuque decorum Moysem cum amplius parentes celare nequirent , in scirpea fiscella bitumine illita collocarunt , et in carecto ripae fluminis exposuerunt , quod quidem factum tamquam immane feritatis exemplum suggillat Calvinus ; sed suam in eo prodere stultitiam , ridiculumque cavillandi modum , quis non videt ?

9. Aegyptium hominem , à quo Hebraeum fuisse percussum sacra refert Historia , quin aequi , bonique metam transiliret , Moyses obtruncavit.

10. Moysi in ardente rubo apparuisse ipsum Dei filium , nonnullis ex vetustioribus arrisit ; ast non nisi Angelum Synagogae custodem , Michaellem nempe, sese conspiciendum praebuisse , ad nostrum sanè palatum.

11. Linguae suae vitium , tarditatemque , ne ad Pharaonem mittatur, Moyses praetexit , cuius excusationem à quibusdam commendari ; ab aliis verò tanquam venialiter malam reprehendi cognoscimus : nobis autem utrorumque referre momenta , in deliciis est.

12. Circumcisionis filii omissio in causa fuit , cur occurrens Angelus mortem minaretur : sed cuinam equidem ? filione , an parenti Moysi ? aptius hunc in Scriptura designari , sentiunt Interpretes.

13. Ut fortem , invictamque Dei manum , si qua possent , eluderent Pharaonis malefici , virgas suas in dracones converterunt , quos veros , non apparentes fuisse serpentes , consona est Augustini , et Thomae , quibus manus damus, sententia. Quò id fieri potuerit , rogasne ? hac de re audies nos disserentes.

14. Adamantinus Pharaonis animus Dei digito tot signis sese prodehenti adhuc obsistens , flectique nescius , verberibus tandem , plagisque attritus , Israelitarum populum ex Aegypto dimisit : Hasce recensere , nostrum erit , si patienter feratis.

15. Ultima plaga , quae Divinis in Aegypto flagellis colophonem imposuit, omnium fuit primogenitorum Aegyptiorum strages , quam non boni , sed mali potius Angeli ministerio fuisse peractam , nihil est , cur adserere vereamur.

16. Apud Hebraeos et sacer , et vulgaris , seu communis annus reperiebatur, quos distinctos asserere , ipsa rei veritas compellit.

17. Haec Hebraeorum mensium nomina , *Nisan* , *Iian* , *Siuvan* , cet. non ab Hebraica , sed à Chaldaica lingua suam ducunt originem.

18. Paschalem agnum praecepit Dominus immolari , cuius sacrificii ordinarius minister absdubio non alius , quàm Pater-familias.

19. Masculinum primogenitum aperientem vulvam Domino fore sanctificandum , extra omnem est disputationis aleam : haecine verò sanctificatio non statim in ipso ex Aegypto egressu , sed tempore fieri debebat opportuno.

20. Non paternum , sed maternum dumtaxat primogenitum supremo Domino , Legislatorique esse offerendum , nullo quidem negotio concluditur.

21. Divisum Moysis virga rubrum mare traiecit universa filiorum Israel multitudo , qui non semicircularem , sed rectam lineam ab Aegypti littore ad oppositum confecerunt.
22. Praeter congenitum , alius in manna adventitius erat sapor omne delectamentum , et suavitatem praebens , qui non improbis aequae ac iustis , sed iis tantum concedebatur.
23. Contra Israel in Raphidim pugnaverunt Amalecites ; huiusque belli non alia certè causa , quàm antiquum , ac paternum Esau adversus Iacob odium ob praeoccupatam Patris Isaac benedictionem.
24. Iethro , qui audito felici Israelitarum ex Aegypto egressu, Sephoram, binosque filios ad parentem Moysem reduxit , idem ipse est , qui et huius socer.
25. Iethro non idolorum , sed veri Dei fuisse sacerdotem , immo neque vanà hominum figmenta coluisse unquam , haud contemnendis conficitur argumentis.
26. Legem 50. post exitum de Aegypto die à Domino Israelitis concessam, apud omnes ratam, fixumque est. Sed quonam pacto dies hi computari debent? hoc opus , hic labor : facilius tamen , expeditiorque recensendi modus hic nobis apparet : à 15. die exclusivè , qua exierunt de Aegypto , numerentur reliqui 14. quibus si mensis secundi dies 30. atque tertii 6. dies addantur , 50. dierum numerus perfectè completur.
27. Promulgatis Legibus ad Iudaeorum Rempublicam pertinentibus , foedus inter Deum , ac populum sanxit clarissimus Moyses , qui dimidium holocausti sanguinem respersit in populum ; reliquum verò effudit super altare, ut ritu hoc utramque partem ad stabiliter servandas foederis conditiones obligari , fieret omnibus notum.
28. De 70. senioribus pro populo , et altari à Moyse constructo deputatis nonnulla garriemus.
29. Moysi, designatisque Israelitici Populi Principibus humana , augustaque forma sub magnifici nempe Regis , aut Legislatoris specie , Dei vices gerens Angelus apparuit.
30. In antiqui foederis Arca Legis tabulas , easque solas , si strictè loqui velimus , extitisse , pro comperto habemus , quidquid opposita tueatur sententia.
31. Propitiatorium non supra Arcam elevatum , sed immediatum Arcae fuisse quidem operculum , M. P. Augustini doctrina est , à qua fac , ne nos putes alienos.
32. Sive unam tantum , sive facies plures haberent Cherubini , qui alis suis oraculum obumbrabant , humanam tamen speciem in eis eminuisse , palam profiteri non veremur.
33. Aliquantulam Tabernaculi , Altaris holocaustorum, vestium Pontificis, inferiorumque Sacerdotum , Altaris thymiamatis notitiam exhibere non gravabimur.
34. Thymiamatis altare in Sancto Sanctorum à quibusdam , in Sancto tantum ab aliis collocatur : viriliter , strenuèque utrique decertant , nos verò primae sententiae patronis morem gerere nequaquam detrectamus.
35. Aegyptiorum superstitionis exemplum aemulati Hebraei , Deos , hominum

nūm opera ab Aārōne pētierunt , qui aureum vitulum cōflando , à gravissimo crimine excusari non potest.

36. Calvino , eiusque gregalibus vehementer subirascimur , qui Hebraeos in vitulo non vitulum ipsum , sed verum Deum adorase , persuadere conantur.

37. Quamvis ab Angelo Dei personam gerente Decalogum in prioribus tabulis exaratum fuisse , ambigi certè nequeat ; probabilius tamen apparet , eundem à Moyse in posterioribus restauratum.

Leviticus.

1. Mosaycae Legis ritus , maximèque sacrificia , de quibus hocce libro instituitur sermo , Christum Dominum in cruce mactandum , et pro humani generis redemptione , effuso sanguine , immolandum praefigurabant.

2. Si internum , quē praeter exteriorem cultum supremus exigit Dominus , à veteris Legis sacrificiis omnino seiungas , haec ipsi ingrata reperies , prorsusque iniucunda.

3. Externo internum adhibe cultum , ac offerentium devotionem ; vetustaque sacrificia Deo olim arrisisse , protinus inferre licebit.

4. Tres apud Hebraeos insigniores fuere sacrificiorum species , *Holocaustum* nempe , *victima pacifica* , et *hostia pro peccato* , quibus *mincha* additur tanquam distincta

5. Holocausto primas qui neget , certè hic suam in Scriptura Sacra ignorantiam obtrudit. Requisite ad id conditiones , et quonam ritu ex minoribus animalibus holocaustum offerri deberet , dabimus rogati.

6. Mincha , seu simila , quae in animalium sacrificiis offerri consueverat , ab iis minimè distinctum , sed quasi accessio erat , atque ornamentum : illam verò seorsim considera , propriumque appellabimus sacrificium.

7. Ratione mutilatum eum cense , qui farinaceum hoc sacrificium iure , meritòque à Domino institutum fuisse negarit.

8. Incruenta Iesu Christi in Eucharistia immolatio sacrificio hoc farinaceo quadantenus adumbratur.

9. Non ex pacificorum animalium , quemadmodum putat Iansenius , oblatione , sed ex pace , atque incolumitate vel obtenta , vel obtinēda nomen sumpsit hostia pacifica.

10. Lucernis , unctionibus , aliisque huiuscemodi usibus ; minimè verò Iudaeorum cibo morticini cadaveris , illiusque animalis , quod capiebatur à bestia , adeps poterat inservire.

11. Immundorum animalium , uti et mundorum ad esum , quae tamen ad sacrificium assumi non poterant , adipem Deo consecrare , licitum nequaquam fuisse , M. P. Augustini sententia est , in qua firmiter perstamus.

12. Mundorum animalium , eorum etiam , quae tanquam victimae Deo poterant immolari , adipe vesci nullatenus vetitum erat Iudaeis , modò ea domi in cibum occiderent.

13. Hostias pro admissis adversus naturae iura flagitiis à Iudaeis offerendas non esse, sed pro perpetrato tantum in iudicialia, et caeremonialia praecepta delicto, docuit Abulensis, cuius solidum prorsus omne nescimus praesidium.
14. Et pro Iudaeorum Pontifice hostiam supremo offerri Domino necessum erat, si crimine, ex quo populi ruina sequeretur, semetipsum ille inquinaverit.
15. Licet haec hostia igne tota consumi deberet, ab holocausti tamen ratione procul excluditur.
16. Non ab alio, quam à seipso pro Pontificis peccato hostia erat reapse offerenda. Discrimen inter sacrificium pro peccato Summi Sacerdotis, ac totius populi, atque illud, quod pro Principis delicto erat offerendum, in agone explicabimus.
17. De vespertino sacrificio, quod nocte tota, perpetuoque igne ardere voluit Deus, nostrum erit orationem contexere.
18. Aaronis in Pontificem, eiusque filiorum in Sacerdotes consecratio eo ipso die contigisse dicenda est, quo Domino Deo erectum est Tabernaculum.
19. Secundo ab exitu ex Aegypto anno, primo mense, huiusque octavo die primitias suas Aaronem celebrasse, tam apertum nobis apparet, ut labore nulla-que diligentia ceteris id persuaderi posse arbitremur.
20. Et ut veteris Legis sacerdotium, sacrumque hunc ritum à se institutum approbari, testimonio confirmaret Deus; et ut Sacrificia, Sacerdotesque maxima reverentia, et honore afficiendos esse, toti populo aperiret, in Aaronis victimas ignem misit coelestem.
21. Sacer hicce ignis perquam diligenti Sacerdotum cura servabatur, perennique ipsorum nutriebatur fomento.
22. Aaronis filii Nadab, et Abiu, arreptis thuribulis, ignem, et incensum desuper posuerunt: hoc neququam super thymiamatis, sed super holocausti altare fuisse quidem oblatum, maximè nobis probatur.
23. Per incensum à Nadab, et Abiu oblatum putasne intelligi strictè dictum thymiama? gradum hìc sistimus, prorsusque ancipites haeremus.
24. Nadab, et Abiu profanum, minimèque sacrum ignem in oblatione usurpantes, emisso divinitus igne fuerunt devorati. Sed cur illo, non isto usi sunt? in arena.
25. Sanctorum Patrum, interpretumque, si unum demas, sententias omnes in consilium adhibe; hosque, B. Virginem Mariam Purificationis Lege haudquam fuisse constrictam docere, apertissimè excipies.
26. Si ea, quae puerperae praescripta sunt sacrificia, non pro pariente tantum matre, sed et pro prole oblata fuisse concedas; in eandem nos audies conspirare sententiam.
27. De tempore, causa, servatisque in Expiationis festo ritibus plurima dicemus quaesiti.
28. Omnium cachinnis, sibilisque explodendi profectò illi, qui emissarium caprum Doemoni olim offerri, plenis buccis mentiebantur.
29. Hircum Diabolo, non propter se, sed ne ullam hominibus infligeret calum-

lumnam, offerri, horrendum dictu est, supremamque Dei laedens Maiestatem.

30. Utrumque igitur, super quos sors mittebatur, caprum, soli, veroque Deo pro totius populi peccatis, diverso tamen offerri modo, asserendum nobis est.

31. Verba haec, quae 16. cap. v. 14. de Pontifice leguntur: *tollet quoque de sanguine vituli, et asperget digito septies contra propitiatorium ad Orientem*, eo quidem sensu accipi debent, ut non Mundi, sed orientalis Propitiatorii pars intelligatur: in ea ergo, quae inter Arcam, et Sanctuarii velum erat, Pontificem expiasse statuimus.

32. Per Altare, cuius cornua vituli, et hirci sanguine aspergere eodem capite, v. 18. iubetur Pontifex, non thymiamatis, sed holocausti, quod extra tabernaculum stabat, altare volumus significari.

33. Moloch Ammonitarum fuit Idolum, cui, Scythico furore perciti Parentes, filios suos per ignem consecrabant. ; Quonam ritu? in Palaestra.

34. Aereum hocce idolum humana statura, capite verò vitulino constabat, interiusque concavitate, in qua tamdiu accendebatur ignis, quousque candens, ignitumque illud esset, donabatur.

35. Moloch non alium, quàm Saturnum fuisse, quem filiorum voracem veteres crediderunt, ex antiquis didicimus Scriptoribus.

36. Huic porro cultum detulisse Iudaeos, ita certum, exploratumque, ut neminem hac in re haesitare patiatur.

37. Summo Iudaeorum Pontifici ad mortuum quemlibet, vel etiam Parentem ingredi, licitum nequaquam fuisse, neminem latet, qui Sacram Scripturam legerit diligenter.

38. Probari nobis nequibit unquam eorum opinio, qui et Pontificibus, et ipsis quoque antiqui foederis Sacerdotibus non nisi de Tribu Levi uxores ducere à Deo fuisse concessum, autumant.

39. Si quis de sanctificatis manducare non posse Sacerdotum uxores velit contendere, alios quaerat, quibus haec venditet; nobis enim nec quidquam arripient. ; Ceteros, qui hocce cibo uti poterant, scire desideras? interroga.

40. Quot apud Iudaeos festi fuerint dies, quodque discriminis inter eos reperiretur, satis, superque exponemus.

41. Quamvis alia Iudaeorum festa à mense Nisan, qui partim Martio, partim Aprili respondet, suum ducerent exordium; Sabbathicus tamen, et Iubilaeus annus à Tisri, qui et Septembris, et Octobris occupat partem, auspiciabantur.

42. Non ab ipso praecedenti Iubilaeo, sed à primo post Iubilaeum anno Iubilaeus alter computabatur.

43. Sentiant alii quod sibi placuerit; Sabbathicos tamen, et Iubilaeos annos non statim ab ingressu in terram promissam, sed à septimo Iosue anno, quo subacta tot bellis terra dividi, colique coepta est, inchoatos fuisse, nostra est, quam amplexamur, sententia.

44. Iubilaeo anno ad pristinas possessiones reddituri erant Hebraei. ; Sed qua de causa? quintuplici à nobis referenda.

45. Ubi de suburbanis agris ad deliciarum , vel sepulchrorum hortos deputatis , aliisve similibus usibus deservientibus sermo instituitur , non idem esto iudicium.

Numeri.

1. Historica peregrinationis Hebraeorum per desertum à monte Sinai usque ad Iordanem descriptio palmare libri huius argumentum est : huic tamen varia Dei praecepta , pluresque leges accedere , nihil quidem vetat.

2. Ab ea sententia , quae non in terrae promissae quiete dumtaxat , sed et in deserto propositionis panes supra mensam futuros definit , pedem nequidem movemus.

3. Uxores , quae ad alium virum per adulterium declinabant , per aquas maledictas in veteri Lege explorabantur. ; At quo sane ritu ? in agone promemus.

4. In egregio , praestantissimoque Nazaraeorum voto , Hebraeoque populo concessa à Sacerdotibus benedictione describendis sedulam , si oportuerit , navabimus operam.

5. Itineris laborem molestè ferentes Iudaei , carniisque desiderio impensè flagrantes , dolorem suum contra Dominum murmure detexerunt , quod non duplex , sed unicum tantum existimamus.

6. Diffidentiae crimen Moysi quidam affingunt , dum v. 21. et 22. cap. 11. haec protulit : *sexcenta millia peditum huius populi sunt , et tu dicis , dabo eis esum carniis mense integro. Numquid ovium , et boum multitudo caedetur* cet. sed ii , nostro iudicio , lubrico , praecipitique gradu rapiuntur.

7. Moysi Maria , et Aaron detraxere propter Aethyopissam illius uxorem , quam non aliam esse à Sephora Iethro filia , fidenter pronuntiamus.

8. Milites , qui libri huius cap. 1. à viginti annis , et supra numerantur , quique falso exploratorum nuntio perterriti , adversus Dominum murmurarunt , in promissionis terram pedem non intulerunt , sed omnes omnino , si Caleb , et Iosue excipias , supremum in deserto diem clausere.

9. A Moyse atque Aarone deficientes Core , Dathan , Abiron , et Hon , simulque cum ducentis quinquaginta viris Sacerdotium ardentissimè sitientes , supplicium nullatenus effugerunt ; ii enim igne à Domino egrediente combusti ; illi verò tellure os suum dilatante fuerunt absorpti.

10. His nostram porreximus dexteram , qui Balaam verum fuisse ariolum daemonis auxilio se tanquam Prophetam venditantem crediderunt.

11. Ad Iesum Christum spectare prolata à Balaam verba haec : *Orietur stella ex Iacob* , concors nos edocet Christianorum sententia.

12. De titulo , quo filiae Salphaad instructae , suam in promissionis terra possessionem à Moyse petierint , audies nos disserentes.

13. Novilunia sibi voluit Deus consecrari , quibus certè diebus , licet devotionis ergo à servili opere quidam abstinerent , nullibi tamen id reperitur interdictum.

14. Prima septimi mensis dies apud Iudaeos venerabilis, et sancta erat, huiusque institutio ad liberati ab immolatione Isaac, suffectique in eius locum arietis memoriam referenda non est.

15. Eo fine festus hic dies institutus fuisse videtur, ut tubarum clangore ad alios, qui eodem mense celebrandi erant, debere praeparari, homines admonerentur.

16. Madianitas, qui ad luxuriam et idololatriam pertraxerunt Iudaeos, occidi praecepit Deus; huiusque expeditionis non alius fuit Dux, quàm Phinees.

17. Si ex Iudaeis quispiam alterum sponte occidisset, ab huius propinquis quin prius iudicis audiretur sententia, licitè ille interfici nequibat.

18. Aliis viris, quàm contribulibus suis nubere non poterant Hebraeae mulieres, quas, non omnes, sed eas tantùm intelligas, velim, quae Paternorum haeredes erant bonorum.

Deuteronomium.

1. Cum è vita cessissent Bellatores viri, qui datam in monte Sinai Legem audiverant; eandem ipsorum filiis repetiit Moyses, ut medullitus eorum infixam pectoribus observarent; et en propria Deuteronomii materies.

2. Chananaeorum gentem stirpitus everti praecepit Moyses, quem tanquam culpae reum ob datum id Israelitis mandatum insimulare, imprudentiae est, crassissimaeque stultitiae.

3. Cum Chananaeis idolorum cultoribus inire coniugia Israeli populo interdicebatur; eradicata verò ex illorum animis idololatria, piaculum nullum erat.

4. Levitarum à ceteris tribubus segregatio, quam decimo Libri huius capite narrari conspicimus, eadem omnino est, quae Aarone vitae huius usuram fruente à Domino fuit constituta.

5. De promissae terrae fertilitate, planaque temporanae, ac serotinae pluviae intelligentia dicemus nonnulla.

6. Ex septuaginta senioribus, summoque Pontifice supremum Iudaeorum tribunal coalescebat, à quo nulla, vel declinatio, vel appellatio concedebatur.

7. Ubi difficile, et ambiguum inter sanguinem, et sanguinem; causam, et causam; lepram, et lepram suspiciebatur iudicium; celeberrimi, venerandique huius Senatus sententià rei veritas erat detegenda.

8. Inane, fallaxque Augurum, Divinorumque consilium exquirere, Iudaeis Moyses penitus interdixit.

9. Prophetam ex fratribus suscitandum, cui attentas praebere aures tenerentur Iudaei, v. 15. cap. 18. narratur: ; Quisnam hic? non alius, quam Christus Iesus.

10. Refugii urbes si universim consideres, novem apud Iudaeos esse reperies, tres cis Iordanem in terra Schon, et Og; tres trans Iordanem in terra Chanaam; tres denique in terra versus Euphratem, et mare rubrum expugnanda.

11. Promissam Iudaeis regionem ingredi Moyses concupivit, atque à Domino enixè

* XCVI *

enixè efflagitavit : ; ideone criminis reum ipsum fuisse credemus ? apage fabulam.

12. Fratris uxorem assumere , ipsamque ducere cogebatur Iudaeus , si nullum ille filium reliquisset.

13. Ast ubi nata illi filia permaneret , superstes frater statuta hac à Deo lege neutiquam tenebatur.

14. Israelitarum vestimenta in deserto attrita non fuisse , nec pedum calceamenta vetustate consumpta 29. cap. recensetur : ; sed quo id pacto venit intelligendum ? in palaestra.

15. Vestes , calceosque ex non detritis in deserto morientium parvuli ibidem nati consequiebantur : Aegyptiorum , caesorumque Amalecitarum spolia ipsis plurimum profuisse , non inficiamur.

16. E vivis non fuisse sublatum Moysem , sed instar Eliae translatum , autumat Rabbi Moyses , cuius oculos , mentemque , nequid peius , in meridie caligasse putamus.

Iosue.

1. Finito clarissimi Moysis Pentateucho , ad Iesum filium Nave manum mittamus : hic equidem libri , qui eius inscribitur nomine , verus est auctor.

2. Forti huic viro , maximoque in electorum salute post Moysis obitum apparuisse Dominum , Scriptura testatur : ; sed quo sanè tempore ? non eo , quo defuncto Legislatore iusta solvebantur , sed funebri planctu definito.

3. Cibaria , quae ab Israelitico populo iussit incomparabilis Iosue praeparari , cibi erant à manna longè , latèque distincti.

4. Non cauponam , sed meretricem arbitramur mulierem illam , Rahab videlicet , quae apud se Israelitarum excepit exploratores.

5. A lethali crimine hocce Rahab factum purgare satagemus ; quamvis à multiplici mendacio , et quidem genti suae perniciosissimo immunem eam non censeamus.

6. Non iterata Iudaeorum in Galgalis circumcisio , sed ipsius instauratio his verbis : *circumcide secundò filios Israel* , à Domino praecipitur.

7. Non igne consumptus , sed lapidum turbine concussus Achan , qui Divinam ultionem in Israeliticum populum furto suo concitaverat , diem clausit supremum.

8. Foedus cum Gabaonitis inire potuisse Iosue , modò et pacem ultro peterent , omnemque prorsus Israelitis cederent substantiam , et nefarium Idolorum cultum omnino reiicerent , non contemnendis nixi rationibus propugnamus.

9. Praestitum à Iosue , Populique Principibus iuramentum eo demum tempore , quo detecta Gabaonitarum fraude ratum esse voluere , ipsos dumtaxat obstrinxit.

10. In medio Coeli Solem , clarissimo iubente Iosue , stetisse , sacra pagina evidenter demonstrat.

11. Inclinata circa vesperam die id contigisse , probabile quidem est ; ast in meridie stetisse Solem , nobis est longè verosimilius. Non

* XCVII *

12. Non omnes gentes ab Israelitis tunc temporis fuerunt destructae ; cum aliquae , Gessuri scilicet , et Machati posteris relictæ fuerint expugnandæ , idque tribus causis à nobis in agone aperiendis.

13. Et ad Benjamin , et ad Iuda tribum spectasse Ierusalem , in Scriptura invenimus : cave tamen , existimes sibimet eam repugnare ; australem enim partem ad illam ; septentrionalem verò cum monte Moria intermedio ad hancce tribum attinuisse putamus.

14. Bellis feliciter confectis , tranquillitateque demum obtenta , tabernaculum , foederisque Arcam ex Galgalis in Silo transtulerunt Israelitæ : si causas interrogas , dabimus in Palaestra.

15. Latinum textum in Sichem Iosue congregasse populum adserentem cum LXX. versione in Silo id factum fuisse adstruente tentabimus conciliare.

16. Nulla de filiis , posterisque Iosue vel in Scriptura , vel in SS. Patribus , vel in probatis Rabbinis reperitur mentio : unde per totum vitæ spatium caelibem permansisse coniecimus.

Iudices.

1. A Iudicibus , qui Israeliticum populum ab afflictione , et tyrannide liberarunt , et ab hostium vindicarunt iniuriis , septimus hic , qui succedit liber , nomen sortitur : in eo et pospera , et bellorum adversa , aliaque gesta descripta leguntur.

2. A filiis Israel consultus Deus belli ducem Iudam constituit ; verum non unum , privatumque virum , sed universam eius tribum hac voce oportet intelligi.

3. De pugna adversus Regem Adonibezec , quem ab Adonizedec censemus omnino diversum , poenaque iusto Dei iudicio ab Israelitis ipsimet inflicta loquemur rogati.

4. Eum , qui , ut Israelitarum argueret inobedientiam , de Galgalis ad locum flentium ascendit , non verum Angelum , sed Phinees summi Sacerdotis Eleazari filium adserunt Rabbini ; sed alios quaerant , quibus sua obtrudant commenta.

5. Quamvis hocce Aod ad Eglon Moabitarum Regem sermone : *Verbum secretum habeo ad te ò Rex!* mendacium nonnulli praesentiri contendant ; nos tamen nequidquam percipimus , imò ab hac nota , praeunte Augustino , purgamus.

6. Gravesonio , ac Natali Alexandro inter Israelis Iudices Deboram collocantibus libenter assentimur.

7. Iahalem fictis quibusdam blanditiis , ac mendaciis , quibus Sisaram ad suum adduxit tentorium , leviter peccasse , non est cur diffiteamur ; ast omnem ab ea , dum hostis tempora clavo transfixit , culpam depellimus.

8. Hoedum , azimosque panes non in prandium dumtaxat , sed in verum , propriumque sacrificium attulit Gedeon.

9. Nova postulans Gedeon miracula , queis Divina promissio sibi ab Angelo facta confirmaretur , ab infidelitatis peccato nequit vindicari.

10. Ephod ex Madianitarum , et Ismaelitarum spoliis à Gedeone confectum ,

idolum fuisse aureum , pulchrumque in urbe Ephra collocatum , arbitrantur nonnulli ; sed quàm stultè ! verisimiliorem illius notionem ex M. Parentis doctrina deductam exponere , nostrum erit.

11. Imprudenter sanè , et immoderato pietatis zelo Gedeon correptus Ephod confecit ; in quo à mortali equidem crimine , neutiquam à levi excusamus.

12. Gedeonis filius Abimelech , qui interfectis fratribus imperium sibi vindicavit , non tam Iudex , quàm tyrannus , et invasor debet censi.

13. Tholam , qui post Abimelech , dux surrexit in Israel , ad tribum Issachar pertinuisse arbitramur.

14. Iephte votum imprudenter emisit , et in filia non virginitatis consecratione , sed mactatione cruenta crudeliter adimplevit : insignis tamen fuit Iesu Christi typus.

15. Verba haec proferens Samsom : *in maxilla asini , in mandibula pulli asinarum delevi eos , et percussi mille viros* , nullatenus se vanae gloriae crimine inquinavit ; sed Epinicium , seu triumphale canticum , quo aeterno Deo ageret gratias , modulatus est.

16. Clarissimus hic heros scorti Gazaei consuetudinem , et meretricios Dalilae amores verae poenitentiae lacrymis , et morte fortiter , sanctèque oppetita expiavit.

Ruth.

1. In diebus unius Iudicis historiam Ruth contigisse Scriptura Sacra pronuntiat. ; Ast quisnam hic ? incerta res est , et omnino dubia.

2. Ad Heli tempora refert Iosephus ; verùm huius sententia , utpote quae generationes nimis coarctet , neutiquam consistere valet.

3. Nec sub Abesan , quemadmodum fingunt Rabbini , suam aspexisse diem putamus.

4. Nec Ruth , nec eius socrus Noemi coniugium Booz curantes , peccati quidquam commisere.

Libri quatuor Regum.

1. Non ex Ephraim , sed ex Levitica tribu genus suum traxere et Samuel Propheta , et pater eius Elcana.

2. Anna Samuelis mater , hunc Deo daturam , eiusque ministerio mancipaturam specialiter vovit. ; Frustra id esse factum autumas ? profectò deciperis.

3. Filii Heli Domini iugum excutientes , gravissimis sese implicuere sceleribus. De his in arena perpauca dicemus.

4. Heli Sacerdos et frugi poenitentia , et temporalibus castigationibus aeternam damnationem evasit.

5. Non quia Arcam opertam , sed quia nudam , detractisque , quibus à Philistaeis obvoluta erat , velis , aspexere , Bethsamitae à Domino percutiuntur.

6. Non expectato Samuelis usque ad completum septimum diem adventu , holocaustum Deo obtulit Saul , qui proinde fuit à regno seclusus. Ad-

7. Admirabili prorsus, insignique à Ionatha, et eius armigero comparata victoria, videns Saul fugae sese committere hostes, quos ad internecionem persequi vehementer optabat; cibum, ne quidquam obsesset, ante vesperam populo interdixit, praeceptique observationem iuramento firmavit, quod nec culpa, nec ulli obnoxium est reprehensioni.

8. Iesse Davidis pater in filiis suis octo numeravit; nec pauciores extitisse, ex Sacris litteris potest convinci.

9. Nequam Spiritus, qui exagitabat Saulem, non atra bilis, non melancholicus humor, sed Diabolus, qui non tantum exterius ipsum vexavit, sed etiam interius possedit, intelligendus quidem est.

10. Gravissimo sese crimine impiasset David, si Saulem Regem, Engaddi speluncam ingressum, occidisset.

11. Quamvis Saul Pythonissam consulens, à vero Samuele, non ab efficta ipsius larva, suam, suorumque proximam cladem didicerit; sancta tamen Prophetæ anima non Pythonicis artibus, sed Dei providentia, et imperio fuit evocata.

12. Davidi adversus Israeliticum populum contendere nullatenus licuisset, si Achin Philistaeorum Regem, à quo plura acceperat beneficia, ad bellum in illum fuisset comitatus.

13. Necem sibi gladio Saul ipse conscivit; unde veniens ad Davidem cum Regia armilla Amalecita, ipsumque confodisse Regem pronuntians, in caput suum fuit revera mentitus.

14. Sempiternis addictum fuisse poenis Saulem, et Sacra Scriptura, et Sancti Patres passim testantur: frustra ergo Rabbini ab hisce aerumnis eruere conantur.

15. Quonam sensu David praecepisse dicitur, ut filios Iuda arcum docerent? non eodem modo verba haec exponunt interpretes, quorum proferemus in medio sententias.

16. Cum Abner solius animi, vanaeque virium ostensionis gratia sanguinolentum certamen obtulerit, et Ioab acceperit; utrumque deliquisse, dispari tamen modo, putamus.

17. Filiam Regis Gessur Maacham non prius duxit David uxorem, quam ad verum Dei cultum transiisset.

18. Oza humeris suis Arcam baiulandi labore deterritus, eam plaustro deferri fuit auctor; et en praecipuum scelus, propter quod ab irato Domino percutitur.

19. Prophetia, quae cap. 7. lib. 2. Reg. hisce concluditur verbis: *Ipse aedificabit domum nomini meo..... Ego ero ei in Patrem, et ipse erit mihi in filium;* partim in Salomone; plenè, et perfectè in Christo Domino, eiusque sponsa catholica Ecclesia fuit adimpleta.

20. Davidem adulterii, aliorumque peccatorum laqueis irretitum usque ad Nathan Prophetæ correptionem nullum de tam gravibus criminibus elicuisse dolorem, nullum edidisse singultum, credibile neququam apparet.

21. Horrendo supplicio, poenisque gravissimis pugnaces Hebraeorum hostes David afficiens, nullius peccati reus censeretur debet.

22. Iuramentum , quo Semei promisit Rex David non occidendum , confregisse hic dicendus non est , etiamsi filio Salomoni illum impunitum haud derelinquere praecepit.
23. Per Ioab exercitus sui Principem iussit David universum Israel numerari , in quo sanè et superbiae , et vanitatis delicta patravit.
24. Licèt , ut senile Davidis corpus foveret , esset quaesita Abisag Sunamitis ; non propterea hanc illi matrimonio fuisse coniunctam diffitemur.
25. Vicesimo circiter aetatis anno , non duodecimo , ut perperam tradunt Hebraei , Rex Salomon Regni suscepit habenas.
26. Abiatharum summo Pontificatu Salomon spoliavit ; ast non propriae , sed Divinae auctoritatis dispositione , cuius hicce erat executor.
27. In crimen Salomon vocari non potest , quòd Pharaonis Aegypti Regis filiam sibi matrimonio copularit.
28. In excelsis vero Deo consecratis , templo nondum extructo , licuit immolare ; coram Sanctuario tamen , vel ubi Arca Domini exstabat , sacrificium offerre , longè erat praestantius.
29. Ophir , ex qua Salomoni aurum adferebatur , alii insulam in Occidentali India statutam , alii Zophalam , alii Angolam , alii Malacam , alii intimam Persiam , alii feracem huius metalli in Orientali India Regionem fore intelligendam existimant : in hac varietate nostram seligemus sententiam.
30. Africanam fuisse Saba Reginam , et ex Abyssinia ad Salomonem advenisse non paucis arridet ; verùm nos eam et fuisse Asiaticam , et ex felici Arabia ad audiendam prudentissimi Regis sapientiam accessisse contendimus.
31. Praecipua Salomonis delicta , quibus tandem illectus lucidissimo imperio tenebricosam attulit caliginem , nostra interest referre.
32. Scripturae Sacrae Interpretes pro suo quisque modulo vel in electorum album referunt Salomonem , vel in numero collocant reproborum : nos tamen aeternam eius sortem intra profundissima Domini arcana esse conclusam sustinemus.
33. Per spiritum duplicem , quem ab Elia Propheta postulat Elisaeus , prophetiae , et miraculorum gratiae , quibus erat ornatus ille , significantur.
34. Naaman Syrus ita affectus non fuit , ut Syriae Rege in templo Remnon adorante , idoli cultum externo ritu simulare voluerit ; nec id ab Elisaeo ipsi concessum.
35. Etsi pro zelo , quo sacrilegum Baal cultum destruxit , commendetur Iehu , et temporali beneficio remuneretur à Domino ; at verò ad eum à peccato excusandum nihil nos cogit.

Paralipomenon primus , et secundus.

1. Paralipomenon libri , qui unum dumtaxat apud Hebraeos volumen constituunt , quàm optimè *libri dierum* appellantur , quòd praecipuae in his , quae à Mundi exordio ad usque Babylonicam captivitatem acciderunt , contineantur Historiae.

Me-

2. Meritò tamen *Liber relictorum* dicitur Paralipomenon , cum in eo et quae in prioribus desunt Historicis libris , impleantur , et quae non satis aperta sunt , in hoc distinctius appareant.

3. Librorum horum , ut coniecimus , auctor non alius haberi debet , quàm Scriba , et Sacerdos Esdras , qui ex particularibus Regum Iuda Diariis singula post Babylonicam captivitatem Dei actus spiritu compilavit.

4. Reges , Ducesque , qui lib. 1. cap. 1. v. 43. in Edom imperasse dicuntur , non omnes Moysis aetate , sed continua usque ad David successione vixerunt.

5. Adserentium , Regem Edom secundum , cui laudato hoc capite Iobab adscribitur nomen , ipsum esse Prophetam Iob , causam libenter suscipimus.

6. Aquam de Bethleem cisterna Rex David appetiit , qui ab omni penitus culpa , M. Parentis Augustini iudicio , eximi nequaquam potest.

7. Salomoni Dominus apparuit per somnium , quod propheticum , seu extaticum adserimus , rectè quidem conscii , plures non deesse Scriptores , qui et illud adstruant naturale.

8. Uti et sapientia , ita et opibus ceteros mortalium Reges Salomon praetergressus , nominis sui famam longè , latèque propagavit. ; Sed quo id valet intelligi pacto ? aures , quaeso , praebete.

9. Solemnem septimi mensis diem , de quo cap. 5. v. 5. instituitur sermo , octavum fuisse , vero nobis quàm simillimum apparet.

10. Innumera hostiarum multitudo , quas Salomon Rex in templi Dedicatione mactavit , non unico tantùm die , sed toto festivitatis tempore fuit indubitanter oblata.

11. Nec Syriam occupans Salomon , nec in ea Urbes , aliaque extruens aedificia , quidquam peccavit.

12. De Roboamo Salomonis filio lib. 2. cap. 11. v. 1. haec verba leguntur: *convocavit universam domum Iuda , et Benjamin , centum , et octoginta millia bellantium* ; quae sanè non eo sensu intelligenda esse putamus , quasi omnes convenerint , nullo dempto , Regni bellatores.

13. Aegypti Rex Sesac , qui à Iosepho Antiquit. lib. 8. appellatur Susacus , peccati certè fuit reus , dum Roboamum invasit.

14. Bellum , de quo lib. 2. cap. 13. fit mentio , Ieroboamo ab Abia illatum fuisse videtur. ; An aequo , iustoque non refragante factum id fuerit ? nostrum erit aperire.

15. Abiae ex hac vita sublato filius Asa succesit , qui sacrilegum Idolorum cultum subvertit , eorumque destruxit excelsa.

16. Parentem suam Maacham , etiamsi idolorum cultrix haec statuatur , nec debuit , imò nec potuit vitae usura Asa privare. De ceteris fictorum numinum cultoribus si loqui velimus , non alio modo putamus.

17. Ex duplici Asae inflicta à Domino poena , in crimen impegissee illum , dum Syriae Regem in auxilium vocavit , non irrectè colligimus.

18. Sacrum Scripturae textum attentè legenti aeterna Asae salus apparet ambigua : attamen inferni cruciatus eum non effugisse , nihil est , quod evincat.

19. Ioiada , qui septennem Ioam in Regem inunxit , Summi Iudaeorum Pontificis functus fuit dignitate.

20. Pecuniae Sanctuario debitae administrationem Sacerdotibus interdixit Ioas , iussitque confici gazophylacium , in quibus nec minimum invenimus peccatum.

21. Amasias patris sui Ioae interfectores iustè dicitur occidisse.

22. Eximius Religionis zelator , Divinaeque legis observantissimus Ezechias meritò Davidi comparatur.

23. Non Solaris tantummodo umbrae in horologio Achaz , sive in gradibus aedium ipsius reductio , sed Solis retrocessio fuit Ezechiae in signum concessa : eoque miraculo omnes coelestes orbes una cum Sole retroacti , horaeque pluri-
mae nocti detractae , diei additae fuerunt : quot vero , incertum.

Esdrae primus , et secundus.

1. Quatuor sub Esdrae nomine circumferuntur libri ; sed meritò eorum bini à Catholica Ecclesia tanquam apocryphi recensentur.

2. Captivitas Babylonica septuaginta annorum intervallo in Sacris litteris definitur : ; ast undenam eorum initium desumendum est ? ; quandonam terminus eisdem figendus ? Ab anno regni Iosiae tertio supra decimum inchoandos esse , nullatenus sustineri posse , putamus.

3. Igitur septuaginta illos Babylonicae captivitatis annos à Ieremia praedictos , à tertio completo , seu ab inchoato quarto Regni Ioakim exordium sumpsisse ; primoque Cyri Persarum Regis , qui cum Dario Medo , occisso Baltassare , Imperium Babyloniorum evertit , finem fecisse , dicendum.

4. Esdras Sacerdos , atque peritissimus Mosaycae Legis Scriba , Hierosolymam cum Regis mandatis reversus , sacros ritus , Politiamque Iudaicam restituit.

5. Sapientissimus hic vir , Iudaeis omnibus convocatis , alienigenas uxores repudiari praecepit. De abiectioe hac nonnulla , claritatis gratia , proferemus rogati.

6. Quo pacto ab Edicto Cyri , aut Darii Hebdomadum Danielis initium sit repetendum , minimè valet explicari.

7. Ab Artaxerxis Longimani anno vigesimo probabilius ducitur earum exordium : finis verò post Christi passionem à nobis statuitur.

8. Undecumque tamen Septuaginta Hebdomadum primordia capiamus ; ex hoc Danielis Oraculo advenisse Messiam , contra Iudaeos invictissimè demonstratur.

Tobias , Iudith , et Esther.

1. In primo quidem sacrorum librorum canone Tobiae liber conscriptus non fuit : ab Ecclesia tamen inter sacros , et canonicos , quantus ille est , iure recipitur.

2. Libri huius auctor incertus ; ceterum à patre Tobia partim , partimque à filio exaratum , est certè probabile , si postremos duos versus excipias , quos ab aliena manu credimus adiectos.

Ad

3. Ad Ecclesiam et militantem in terris, et in coelo triumphantem prolata à Tobia verba : *Luce splendida fulgebis* cet. pertinere, non dubitamus.
4. ; Ecquis beatissimum Raphaelem Archangelum in his, quae cap. 5. v. 7. habentur, mendacii architectum existimabit? praeter stultum nullus profectò.
5. Ea ratione Iudith librum ex sacrorum numero explodunt haeretici, qua eos omnes, qui hebraicè scripti non sunt; sed tam imbecilles thrasones eodem, quo ceteros, mucrone prostrabimus.
6. Oratione hac : *capiatur laqueo oculorum suorum in me*, qua supremum Dominum rogavit Iuditha, ad obscoenum excitandum amorem, libidinemque inflammandam hunc minimè provocari, confidenter asserimus.
7. Cuncta prorsus et quae protulit verba, et quae, dum in Holofernis mansit exercitu, Iudith est executà, à mendacio nequeunt purgari.
8. ; Peccavitne illustris haec femina, cap. 11. v. 5. per Nabuchodonosorem adhibens iusiurandum? pro ea nonnihil recitabimus in agone.
9. Precibus Vagao obsequens Iudith, sistensque coram Holoferne seipsam, scelus nullum admisit.
10. In Iuditha Deiparae Virginis typum Deus exhibuit, quae spirituales Holofernem, hostemque salutis nostrae infensissimum profligavit, atque tartareas fugavit legiones.
11. Estheris librum Esdrae nonnulli, alii Ioachimo Summo Pontifici, alii Mardochoaeo, alii demum huic, et Estheri tanquam auctoribus adscribunt; sed nihil ex eorum rationibus certò probatur.
12. Septem libri huius postrema capita Grotius, aliique eiusdem furfuris homines velut ascititia, et apocrypha perperam, et inconsultò reiiciunt.
13. Anabaptistas, Lutheranosque totam Historiam commentitiam, fictamque asseverantes procul etiam exsibila.
14. Tumido illi, arrogantique Amano à piissimo Mardochoaeo denegata est adoratio, quia supremam aeternae debitam Maiestati flagitabat.
15. Estheris Historia ad Darii Hystaspis tempora probabilius refertur, isque videtur Assuerus illius maritus.
16. Falsò ergo Assuerum fuisse aut Xerxem, aut Artaxerxem Longimanum, aut Mnemonem, aut Ochum opinantur nonnulli.

Reliqui Veteris Testamenti Libri.

1. Iobi Historiam Patriarcharum temporibus contigisse, non levia suadent argumenta.
2. Vera igitur est haec Historia, non fabulosa, vel parabolica, ut Thalmudistae, Maimonides, R. Schem Tob, Anabaptistae, ac Lutherus impiè delirarunt.
3. Longè probabilius est, Iobum fuisse Idumaeum, ex Esau genere oriundum, quàm Chananaeum.
4. Liber Iob sacer est, et canonicae auctoritatis.
5. Psalmorum librum genuinum, et antiquissimum esse, adeo certum, et uni-

unicuique exploratum, ut hac de re nullus valeat ambigere.

6. Maximam ipsius partem Davidi tribuendam esse constat; sed totum, integrumque eiusdem esse foetum auctoris, incertum omnino.

7. Centum quinquaginta Psalmis hic liber absolvitur: unde Psalmus Idiographus meritò reiicitur.

8. Hebraica Psalmorum in quinque libros divisio, tanquam Neotericorum Hebraeorum inventum, respuenda est.

9. Oratione Poëticis numeris adstricta scripti sunt Psalmi: quo metri genere, res prorsus incerta.

10. Plurima, et quidem clarissima de Christo Domino, eiusque Sponsa Ecclesia in libro Psalmorum vaticinia leguntur.

11. Salomon Proverbia scripsit infusa divinitus sapientia, et Spiritu Sancto afflatus.

12. Laudatus hic liber optimarum sententiarum ex plurimis, qui ante Salomonem floruerint Scriptoribus, Ecloga censenda non est.

13. Quamvis Proverbiorum liber à capite ad talos canonicae sit auctoritatis; eiusque maximam partem Salomonis esse, cuius inscribitur nomine, certissimum sit; an duo tamen postrema capita eundem habeant auctorem, certò non constat.

14. Contra canonicam Ecclesiastis auctoritatem, de qua nemo sanae mentis hucusque dubitavit, nulla militant ponderis alicuius argumenta.

15. Nec Ezechiae, cum Thalmudistis, nec Zorobabeli, cum Grotio; sed Salomoni, cum Ecclesia Ecclesiastis liber est certò adscribendus.

16. Canticum Canticorum aliud esse nihil, quàm descriptionem amorum Salomonis, eiusque amicae Abisag Sulamitis, vel Pharaonis filiae, totumque illud profanam spirare voluptatem, sentiunt Anabaptistae: sed quàm deliri! quàm purissimo mero ingurgitati!

17. Sapientiae liber sacer est, et canonicus, talisque semper habitus est à maiori Ecclesiarum parte, qualis nunc ab Ecclesia universa.

18. Sapientiae liber neque Salomonis, neque Iesu Sirachidis, nec Philonis Iudaei, sed auctoris incerti foetus est.

19. Divina est libri Ecclesiastici auctoritas, quem olim pars Ecclesiarum maxima in canonem retulit, ac tandem Ecclesia universa ut canonicum suscepit.

20. Licèt Salomonis ob eloquii similitudinem, adserente M. Augustino, Ecclesiastici liber dicatur; nos tamen Iesu Sirachidi tanquam vero parenti tribuimus.

21. Unus, idemque est Daniel Propheta, et Susannae vindex, ad eamque Susannae, Beli, et Draconis Historiae referendae sunt.

22. Susannae Historia, aliaque, quae Danielis additamenta ut plurimum nominantur, sacra sunt, et canonica.

23. Utrumque Machabaeorum librum, et primum, et secundum, à nonnullis Ecclesiis quondam in canonem non relatos, sacris Scripturis incunctanter adnumeramus.

24. Alcimus ille, de quo lib. 1. cap. 7. instituitur sermo, ex Sacerdotali genere proficiscitur.

Re-

25. Religiosissimi Machabaeorum Duces Iudas , Ionathas , et Simon cum Romanis , atque Spartiatis foedera ineuntes , minimè peccasse videntur.

26. Quamvis tam multa saltem , ac Alexander , Iudaico populo , et Templo polliceretur Demetrius ; iustè tamen illi potius , quàm huic de Regni iure tunc temporis inter se contendentibus potuit Ionathas copulari.

27. Herodes etsi Religione Iudaeus , alienam tamen sortitus est Nationem.

Novum Iesu Christi Testamentum.

QUATUOR EVANGELIA.

1. Non pauci res à Christo Domino gestas scripto conati sunt patefacere ; sed ex plurimis Evangeliiis nonnisi quatuor , utpote Spiritu exarata Divino , probavit Ecclesia.

2. Qui Zachariam Praecursoris parentem supremi Pontificis dignitate censent ornatum , procul absunt à nobis , qui in suae familiae ordine summum fuisse Sacerdotem , dumtaxat concedimus.

3. Oratione , de qua dicit Angelus : *Ne timeas Zacharia , quoniam exaudita est deprecatio tua* , non sibi nasciturum filium postulabat vir ille ; sed pro populi salute deprecabatur.

4. Vel etiamsi omnes ingenii exeras conatus ; Zachariam tamen nuntianti sibi filium parituram Elisabeth Angelo incredulum , ab omni immunem peccato nunquam concludes.

5. Et ex Sacra Scriptura , et ex Ecclesiae Patribus planè convincitur , Ioannem Baptistam in Elisabeth matris utero adhuc degentem , ab originis labe fuisse purgatum.

6. B. Virginis Mariae Parentes sub *Ioachimi* , et *Annae* nominibus solemniter cultu ab Ecclesia celebrantur ; an tamen utriusque sint propria , an ob mysticam tantum significationem imposita , incerta res est.

7. Admirabilem hancce puellam ex sterilibus , senibusque Parentibus praeter naturae vim , ac planè divinitus in lucem prodiisse , trimulamque in Templum adductam , atque Sacerdotum custodiae commissam , apud Graecos , nonnullosque Latinos quondam invaluit ; sed haec non sunt minus implexa , et in dubio relicta.

8. Nullam intentatam reliquit viam Cerinthus , ut ex Iosephi semine conceptum fuisse Redemptorem nostrum probaret : at nusquam benè , aptèque illi successit eventus.

9. Ergo B. Maria , Virgo concepit , Virgo peperit , et post partum Virgo permansit.

10. Plusquam Vatiniano odio monastica vota oderunt Calvinistae , qui idcirco B. Virginem Mariam vovisse virginitatem inscita voce inficiantur . ; At quis est , qui tam absurdum errorem non detestetur ?

11. B. Virginem matrimonio nunquam fuisse coniunctam , sed solummodo desponsatam , quibusdam placuit olim antiquis , quorum sententia ab omnibus iure reiicitur.

12. Celsissimo Ioseph matrimonio fuit copulata Maria , idque priusquam Gabrielis Archangeli nuntium audiret.

13. Pictores nonnulli , qui fingendi sibi potestatem assumunt , castissimum Ioseph aetate grandaevum , imò octogenarium , dum B. Virginem duxit uxorem , rudi exprimunt penicillo : ; sed quis haec non feret molestè ? ergo neque eam virgunculam , neque illum capularem , sed virum fuisse florentem , nostra est sententia.

14. Postquam B. Virgo Maria Christum concepit , abiit in montana ; et Zachariae domum ingressa , salutavit Elisabeth , apud quam usque ad S. Ioannis nativitatem permansit.

15. Faustus è Manichaeorum grege petulans homo , ex Regia Davidis stirpe ortum esse Salvatorem negavit ; sed miseris , quibus fulcitur , ratiunculis non plus virium inest , quàm tenuissimo aurae flatui ad montem aliò transferendum.

16. In texenda Christi Domini genealogia Matthaeus et Lucas secum pugnare videntur ; verùm si Iosephum naturà quidem filium Iacob , lege autem Heli fuisse adseramus , utrumque illum harmonicè consentire , nullamque in sacro textu antilogiam inveniri , apertissimè demonstrabitur.

17. Celebre Isaiae oraculum his verbis expressum : *Ecce virgo concipiet , et pariet filium* , de sola Virgine Maria , eiusque sanctissimo filio intelligi oportet : ergo hanc prophetiam rectè laudat Evangelista Matthaeus.

18. Timens , ne ab alio foret violata Maria , occultè voluit eam dimmittere Ioseph ; noluit autem traducere eandem , cum summam Virginis castitatem agnosceret , nec , quo id pacto contigerit , capere ullatenus posset.

19. De implexa nimis , difficillimaque circa diem Christi natalem acturi quaestione ; illam procul opinionem reiicimus , quae anno Iuliano 43. aut sequentibus natum fuisse Redemptorem autumat.

20. Nec anno Iuliano 42. in lucem prodiisse humani generis Reparatorem , commodè valet sustineri.

21. Ergo anno V. C. 749. olymp. 193. anno 4. Coss. Augusto XII. et Sulla , anno Iuliano 41. Caesaris Augusti 40. Regni Herodis 36. quadriennio integro ante Aeram vulgarem hominibus Iesus dignatus est apparere.

22. A perpetua , constantique Romanae Ecclesiae traditione , quae quinta supra vigesimam die Decembris Christum edocet natum , deflectere piaculum est.

23. Circumcisionem subiit Iesus Christus , quamvis lege illam praecipiente nullomodo teneretur.

24. Nec in Templo , nec in Synagoga , sed in Bethleemica spelunca , seu in domo illi vicina Christi Domini circumcisionem credimus fuisse peractam.

25. A Parentum alterutro , minimè verò à Veteris Legis Pontifice , aut Sacerdote id praestitum arbitramur.

26. Ubinam gentium sacrum Domini extet praeputium , non est certè perspicuum ; non tamen ideo ad fidelium venerationem in terris mansisse , negandum.

27. Magi Gentium primitiae biennio post Christi nativitatem Hierosolymam non advenerunt.

28. Ante purificationem nova , splendentique stella perductos , locum illum attigisse opinamur.

Ma-

29. Magos Iesu Christi adoratores Regia dignitate exutos fuisse censemus: ast Toparchas asserere, nihil est sanè, quod interdicat.

30. Quanto fuerint numero Magi, non est facile definire, licèt tres vulgò fuisse credantur.

31. Proh misera fingendi prurigo! inventus fuit anno 1636, qui Magos Christi adoratores alios non fuisse, quam Enochum, Eliam, et Melchisedechum defenderet: sed tam inauditi paradoxi rationes si quaeras, nullam invenies.

32. Non tantùm civili, et politico, sed etiam latriae cultu, qui aeternae Maiestati debetur, puerum Iesum Magi adorarunt.

33. Cuiates, et unde egressi sunt Magi, qui ab Evangelista Matthaeo ex Oriente advenisse dicuntur? variis plurimorum praetermissis sententiis, eam, quae ex felice Arabia docet prodiisse, hilari vultu, animoque amplexamur.

34. Immane illud humanae naturae monstrum Herodes paucis post purificationem diebus teneros Iudaeorum infantes iussit enecari.

35. Non eo quidem modo, quo Samson, Samuel, et alii, Nazaraeus appellatus est Iesus, sed à Nazareth Civitate imprimis nomen illud assumpsit.

36. Mariae matri Iesu, qui Parentibus se subducens, post triduum invenitur in Templo, hunc ita respondisse refert Scriptura: *Quid est quod me quaerebatis?* cet. quibus verbis nullam, quemadmodum mentitur Calvinus, obiurgationem contineri, nobis procul dubio certum.

37. Per locustas, quibus vescebatur Ioannes Baptista, non cancros marinos, non quorundam summitates herbarum, sed animalcula, seu insecta sat nota intelligimus.

38. Baptismus, quo utebatur, quemque ad se accedentibus conferebat, Divino Spiritu afflatus, primus introduxit Ioannes.

39. Iudaeorum plurimi ad Ioannem venisse dicuntur, *sua confitentes peccata*; quorum verborum sensum rogati aperiemus.

40. Marcus à S. Ioannis ministerio, et praedicatione suum inchoans Evangelium, ex Isaia, et Malachia unum contexit testimonium; solumque Isaiam utpote priorem, clarioremque commemoravit.

41. Inter varias, quae circa annum baptismi Salvatoris nostri inveniuntur, sententias, haec nobis maximè arrissit; ineunte scilicet aetatis suae anno 30, Imperii Augustaei Tiberii 12, Proconsularis 15, aut 16, Aerae vulgaris 26, Iuliano 71, V. C. 779, olympiad. 201. anno 2, Coss. Cornelio Lentulo Getulico, et Calvisio Sabino, à Ioanne Baptista illum accepisse baptismum.

42. Die Ianuarii sexta baptizatum fuisse Messiam, ferè unanimi antiquorum traditione docemur.

43. Ea, quae, baptizato Iesu, contigit coelorum apertio, per realem partium, et elementorum separationem facta non fuit: existimamus tamen illam omnibus fuisse conspicuam.

44. Non columbae similitudinem, sed veram fuisse columbam, quae super Christum descendit, Angelicus censet Magister, in cuius sententiam lubenter venimus.

Ab

45. Ab Spiritu Sancto , neutiquam à Doemone in desertum ductum fuisse Messiam , communis Scripturae interpretum est doctrina , quorum semitam firmissimo pede calcamus.

46. Totis illis quadraginta diebus , quibus in deserto ieiunavit Redemptor , non esuriit , neque sitivit.

47. Iesum Christum nec illud afflixit ieiunium , nec debilitatem , maciem , ullumve illi attulit pallorem.

48. De Christi Divinitate dubitans cacodaemon , eamque comperire desiderans , Christum Dominum absdubio tentavit.

49. Nathaneel , quem ad Iesum adduxit Philippus , à plerisque creditur Bartholomaeus Apostolus : veruntamen cuncta sedulo perpendenti neutiquam haec placebit opinio.

50. Nuptiis in Cana Galileae celebratis cum matre , et Discipulis Iesus interfuit , in quibus tanquam sponsus à nonnullis statuitur Evangelista Ioannes ; sed eorum nullatenus possumus servire palato.

51. ; Credin his verbis : *Quid mihi , et tibi est mulier ? Nondum venit hora mea.* Ioan. 2. Iesum Christum increpasse Mariam ? Absint haec procul à nobis.

52. Legitimum priorum , posteriorumque verborum sensum , M. P. Augustini sequentes vestigia , proferemus.

53. Dum Christo responderunt Iudaei : *Quadraginta et sex annis aedificatum est templum hoc ;* de Salomonis templo nequaquam fuere loquuti.

54. Neque de annis in aedificatione templi Zorobabelis consumptis Iudaeorum sermo intelligi quidem valet.

55. ; Putatisne ad utramque simul et Zorobabelis , et Herodis templi aedificationem verba illa posse referri ? nec id est nostrum iudicium.

56. De his ergo , qui in aedificando , instaurandoque templo ab anno regni Herodis decimo octavo ad primum usque Christi Domini Pascha fuerunt impensi , verba fecisse Iudaeos , concludimus.

57. Herodem ob illicitum , quod cum fratris sui Philippi uxore contraxerat , matrimonium , obiurgavit Ioannes Baptista ; idque in causa fuit , cur huncce virum sanctissimum impius ille in carcerem detruserit.

58. Opinio , quae bis in vincula coniectum esse Ioannem statuit , singularis est , communique Interpretum sensui palam repugnat : nunquam ergo tam horrendum facinus à magno Iudaeorum Concilio perpetratum.

59. Post captum ab Herode Ioannem publicè praedicare incepit clementissimus humani generis Redemptor.

60. Si rei huius causam inquiras , haec nobis afferenda videtur ; quòd praedicante Ioanne , Prophetarum Christum vaticinantium adhuc ora sonarent : ubi autem ultimus veteris Legis Propheta conticuit , illuxit tandem ille , ob quem ceteri omnes prophetaverunt.

61. Petrum , et Andream ter à Domino ad Apostolatus ministerium fuisse vocatos , tamquam verisimilius sectamur.

62. Postquam S. Matthaëum vocavit , convertitque Messias , à littore maris di-

discedens , Iairi filiam suscitaturus , mulierem in via à sanguinis profluvio liberavit : de hac , erectaque Christo Domino in perpetuum tanti beneficii monumentum statua , nonnulla dicemus.

63. Festus ille dies , de quo et Ioan. cap. 5. v. 1. agitur , et antiqui digladiati sunt , non Pentecostes , sed Paschatis festum intelligendum est.

64. Ut rectam *sabbati secundo primi* , de quo cap. 6. v. 1. apud Lucam est sermo , caperent notionem , non parum desudarunt antiqui : horum opiniones nostrum erit exponere , ac refutare ; propriamque firmiter stabilire.

65. Non ex Iudaeorum , sed ex Gentilium familia Centurionem illum fuisse censemus , qui ad Christum in Civitate Capharnaum dicitur accessisse.

66. Ad Christum accessisse Centurionem Matthaeus ; eundemque Iudaeorum seniores misisse , Lucas ostendit. En antilogiam , à qua facili nos expediemus negotio.

67. Licèt tempus , quo ad Iesum discipulos misit Ioannes Baptista , non indicet Evangelista Matthaeus ; id tamen post filii viduae Civitatis Naim resuscitationem contigisse , ex S. Luca colligitur.

68. Eo fine discipulos ad Christum misit Ioannes , ut an ille Israelis Redemptor , Mundique esset Salvator , rogarent. ; Quid inde ? ; ergo de illo quidquam dubitavit Praecursor ? apage quàm longissimè.

69. Ex hisce verbis : *non surrexit inter natos mulierum* cet. quibus mirificum Ioannis elogium profert Redemptor ; Prophetis omnibus tum officio , tum sanctitate illum praestitisse , Sacrae Scripturae deducunt interpretes.

70. Nulla est apud veteres de Evangelica Magdalenae historia consensus , cum quidam unam dumtaxat , duas alii , alii tres , quatuor demum aliqui constituent ; ast pace tantorum virorum , unam , eandemque , et Lazari sororem , et famosam peccatricem , et Magdalenam fuisse tuemur.

71. Daemoniacus caecus , et mutus , qui à Coelesti Medico liberatur , et in undecimo Lucae capite , et in Matthaei duodecimo idem ipse est.

72. Apostolorum missio , quam Matthaeus , Marcus , et Lucas , decimo ille , sexto iste , et hic nono capite referunt , prima recensenda est , qua eos Dominus tanquam Apostolos misit.

73. Per petram , super quam , ut ait Matthaeus 16. et 18. cap. suam aedificaturus erat Christus Ecclesiam , Petrus Apostolorum Princeps intelligitur.

74. Adversus sanctam eius sponsam Ecclesiam inferi portas nullo unquam tempore posse praevalere , Christus promisit : ; sed quaenam hae portae ? teterima sanè monstra , quae verbis suis falsas obtrudunt doctrinas.

75. Post sextum à Petri confessione diem , assumpsit Iesus Petrum , et Iacobum , et Ioannem , et transfiguratus est ante eos : id autem eo modo factum esse putamus ; quòd immutata omnino manente corporis , et faciei substantia , ac figura , clarissimum , ad instar Solis , emisit splendorem.

76. Licèt , quisnam excelsus mons fuerit , in quo haec evenerit , silentio involvant Evangelistae ; hunc tamen non alium fuisse , quàm Thabor , Barach , et Deborae victoria praeclarum , adserimus.

77. Quidquid de muliere adultera Ioannes Evangelista pronuntiat , totum id Sacrae , canonicaeque Scripturae gaudet auctoritate.

78. Zacharias , qui apud Matthaeum , et Lucam inter templum , et altare dicitur occisus , Ioiadae filius fuit , idemque Summus Pontifex , et Propheta.

79. Ea , quae de divite epulone in Evangelio narrantur , non inter puras parabolas , sed inter veras historias sunt equidem collocanda.

80. Asinam , eiusque pullum sibi Christus iussit adduci , et in triumphali in Hierosolymitanam urbem ingressu , utroque fuit vectus iumento.

81. Terribilia illa signa , quae Hierosolymorum excidium nuntiavit Christus praecessura , reapse iam evenerunt.

82. Nullatenus dubitandum , sed est constanter tenendum , ultimo vitae suae anno Paschalem agnum Christum manducasse.

83. Die mensis Nisan decima quarta ; illa , inquam , vespera , quae laudatam diem finiebat , Pascha Iudaei debebant manducare.

84. Ab illo planè tempore , quo Pascha ; et azyma comedere Iudaeorum genti praecipiebatur.

85. Luna decima quarta , vespera diem illum claudente , eodemque tempore , quo ceteri Israelitae , ultimum Pascha cum discipulis suis Christus Dominus manducavit.

86. Non solùm reliquis Apostolis , sed et ipsi proditori Iudae data fuit Eucharistia : hanc tamen non fuisse buccellam , seu panem intinctum , apud nos certum , fixumque est.

87. Non eo sensu in Iudam intrasse dicendus est Satanus , quasi illius corpus hic occupasset ; sed quia detestabilem , horrendamque venditionis Christi voluntatem proditori inspiravit.

88. Nulla aequè vulgi animos occupavit opinio , quàm traditionis pretium à Iudaeis perfido Apostolo constitutum , ita tenue , ac vile fuisse , ut nec comparandis calceis suffecisset : huius verò rei nos enodationi intendentes , triginta siclis , sin specie , at certè valore , venditum fuisse Iesum , existimamus.

89. Ex Villa Gethsemani Hierosolymam Christus deductus , primam omnium subiit verberum poenam , quam , non uti delicto debitam , sed ut eum hac via furori Iudaeorum eriperet , inflixit Pilatus.

90. Christum secundò caesum flagellis qui obtendunt , quàm maximè aberrant.

91. Eis , qui vulnere Christo inflictorum numerum ad quinquies mille , quadringenta , septuaginta quinque adserunt excrevisse , nullatenus assentimur , quamquam legum modum , iudicisque decreta excessisse lictores , nobis haud difficulter persuasimus.

92. Quamvis rei apud Iudaeos flagellarentur prostrati ; Christum tamen ad columnam credimus fuisse ligatum.

93. Verberibus spineae coronae impositio successit , quam non ex iuncis marinis , sed ex rubi , vel sentis spinis contextam putamus.

94. Iudaeorum arbitrio Christum non permisit Pilatus , sed pertinacibus eorum obtemperans clamoribus , cruci suffigendum pronuntiavit.

Cru-

95. Crucem , donec de Civitate exiret , humeris suis Christus gestavit ; at ubi ventum est extra illam , Simonem quendam Cyrenaeum , qui solus onustus eam portaret , milites angariaverunt.
96. Insanum Basilidis , et Marcionis errorem , qui contendebant , Christum Dominum , ligno Crucis in Simonem translato , ita Iudaeorum oculos perstrinxisse , ut sese inde substraxerit , prorsusque evanuerit , omnino detestamur.
97. Cruci litterae T figuram referenti , cui postmodum adiecta titularis tabella addidit coronamentum , fuit affixus Salvator.
98. Crucis ligno non tribus , sed quatuor clavis , quorum singuli singulas manus , singulosque pedes perforarent , transfixus fuit Christus Iesus.
99. Christum Dominum clavis non per manus volam , sed per carpum adactis fuisse confixum , figmentum est , cuius nulla sanè extat probatio
100. Popularis eorum , qui latrones , inter quos collocatus est Iesus , non clavis affixos crucibus , sed funibus censent alligatos , corrigendus est error.
101. Ex his duobus unus dumtaxat in blasphemiae scelus impegit , increpante altero , atque à Iudaeorum calumniis liberare curante.
102. Militem , qui lancea Christi latus aperuit , caecum fuisse , atque ex sanguine , et aqua in eius oculos saliente visum divinitus recepisse , ad fabularum amandamus regionem.
103. Virginem Christi matrem iuxta filii patientis Crucem adumbrant nonnulli Pictores , deliquio correptam , exspiranti similem , ac inter Magdalenae , et Mariae Cleopae brachia collapsam exanimem ; sed quis has ferat ineptias ?
104. Obortae moriente Domino tenebrae non Iudaeam tantum , sed et totum terrarum orbem obscurarunt.
105. Ubi de hora crucifixionis Christi Domini controversia movetur , non levem difficultatem ingerit apparens Marcum inter et Ioannem dissonantia , quorum verba , data opera , conciliabimus.
106. Anno aetatis suae 33 , per tres menses inchoato , 15. Imperii Augustaei Tiberii , 18 , aut 19. Imperii Proconsularis , 29. Aerae vulgaris , 74. Iuliano , 782. Urbis conditae , 1. Olymp. 202. Coss. Caio Rubellio , et Caio Fusio Geminis , mortem subiit Christus Dominus.
107. Impius , stultusque error Calvini , qui Christi animam damnatorum cruciatus , ac poenas in Inferis sustinuisse blasphemavit , vitandus omnino à cunctis , qui catholicè sapiunt.
108. Christum prima hebdomadae die , quae nobis Dominica , ad diluculum , subque Auroram surrexisse , comperta res est.
109. De expressis in Evangelio Christi Domini apparitionibus , deque recto earum ordine sermonem , arrepta occasione , faciemus.

Actus Apostolorum.

1. Librum hunc , in quo precipua Apostolorum gesta graphicè depinguntur , à Luca Evangelista fuisse exaratum , ex ipsius principio facile cognoscitur.

Ex

2. Ex monte Oliveti, in quo pedum vestigia impressa reliquit, ac in cuius declivio sita erat Bethania, reportato de morte triumpho, in Coelum tandem Christus ascendit.
3. Christum ascendentem in Coelum omnes Patriarcharum, Prophetarum, reliquorumque electorum animae, prius in Limbo à Mundi exordio detentae, fuerunt comitatae.
4. Salvatori nostro per subtilitatis dotem Coelos penetranti, tanquam Domino, Regique omnes prorsus Angeli occurrerunt.
5. Teterrimum illud monstrum ex hominum memoria expungendum, proditor, inquam, Iudas sese suspendit, corporisque mole, seu potius Divina agente vindicta, crepuit medius.
6. Cum perfidi Iudae Episcopatum alter deberet accipere, in eiusque locum subrogari; Matthiam in Apostolum reliqui sortibus elegerunt, quos equidem ab omni penitus culpa excusamus.
7. Super manentes in Coenaculo Apostolos Spiritus Sanctus descendit, qui et singulos superno linguarum omnium, quibus totus Mundus tunc temporis utebatur, dono cumulavit.
8. Non pro aliquo solummodo tempore, sed pro toto vitae decursu linguarum donum fuit Apostolis ab Spiritu Sancto concessum.
9. Non Hebraica tantum, sed Latina cum Latinis, Graeca cum Graecis lingua, cet. loquebantur Apostoli.
10. In die Pentecostes solemniter unica loquuti Apostoli lingua, à diversarum Nationum populis intellecti fuisse videntur.
11. ; Ceterosne utriusque sexus fideles Spiritu Sancti donorum putatis expertes? En nos oppositum tueri paratos.
12. Omnes prorsus fideles, tam viros, quam mulieres in ipsis Ecclesiae incunabulis vitam strictè communem, patrimoniiis divenditis, coluisse, nec minimum nobis verosimile apparet.
13. Ad Iesu Christi, et Apostolorum familiam vitae communis origo est, nostro iudicio, referenda.
14. Ananias, et Saphira, quas Deo consecraverant, pecunias sibi corde duplici reservarunt: hinc eos cense sacrilegos.
15. Numero Discipulorum quotidie crescente, Graecorum factum est murmur: ; at quaenam huius fuit causa? Eccillam: horum viduis Iudaei Hebraei necessaria victui non largè providebant.
16. Electi hac occasione ab Apostolis septem Diaconi, nedum prophanae, vulgarique mensae praefecti, verum et ad sacrae ministerium Ordinis Sacramento fuerunt promoti.
17. In Samariae civitatem descendens Philippus, eiusdem incolis fidem praedicavit Catholicam. ; Sed quisnam hic? ; Apostolusne, an Diaconus? hic certè, non ille.
18. Verè quidem baptismum, ficto autem animo fidem Simon Magus suscepit, ut patratorum miraculorum gratiae capere partem valeret.

Eunu-

19. Eunuchus Candacis Reginae Aethiops , qui venit adorare in Ierusalem, vel Proselytus , vel veri Numinis censendus est cultor.

20. Superstitione Athenienses vehementer imbuti , aram *ignoto Deo* erexerunt. ; Ecquis hic fuerit Deus? in agone invitati dicemus.

21. Sosthenes Synagogae , quae extabat Corinthi , Princeps à Crispo , qui cum omni domo sua Domino credidit , est longè , latèque diversus.

22. Licèt nondum accepisset baptismum , nec palam fidem profiteretur ; in Christum tamen credebat iam Sosthenes , dum fuit à Iudaeis percussus.

Quatuordecim Pauli Epistolae.

1. Quamvis Pauli ad Romanos Epistola ceteris non sit tempore prior ; ob Romanae tamen Ecclesiae dignitatem , ac eminentiam in Bibliis obtinet principatum.

2. Hancce Corinthi fuisse exaratam , haud inertibus convincitur argumentis.

3. Excitata Romae Iudaeos inter et Gentiles ad Christi fidem conversos de operum meritis , ac iustificatione contentio Apostolo Paulo laudatae Epistolae scribendae attulit occasionem.

4. Graeca lingua , cuius latius , quàm Latinae intelligentia , et usus patebat , hanc fuisse à Gentium Apostolo scriptam , omnes consentiunt.

5. Totius humani generis Parens Adamus dicitur in hac Epistola *forma futuri* , quatenus eius , qui erat venturus , scilicet Christi gerebat figuram.

6. Prima ad Corinthios Epistola non Philippis , sed Ephesi scripta fuit ab Apostolo : Unde Graeca huic in fine addita inscriptio est profectò mendosa.

7. Optimum Medicum imitatus Apostolus , et affectionibus , morbisque convenientia praebens medicamenta , hanc ad Corinthios direxit Epistolam , cuius multiplex argumentum in arena aperiemus.

8. Universis ferme Catholicis Interpretibus , qui S. Paulum perpetuum asserunt caelibatum servasse , ac ab omni abstinuisse matrimonio , indivulsè adhaeremus.

9. Capitis 15. verba haec : *Quid facient qui baptizantur pro mortuis* , cet. vel etiam antiquorum Ecclesiae Patrum exagitarunt ingenia. Plurimas nostra interit huiusce textus expositiones referre , ac in eis verisimiliorem eligere.

10. *Ad bestias pugnavi Ephesi* , inquit Apostolus : id metaphorico intelligi sensu , non pauci contendunt , nos tamen Ephesi feris obiectum , ab ipsisque , protegente Deo , liberatum , fatemur.

11. Causas referre , quae ad scribendam secundam ad Corinthios Epistolam impulerunt Apostolum , quando per vos liceat , nobis non erit ingratum.

12. Per terrestrem domum , de qua cap. 5. v. 1. agit Apostolus , mortale nostrum intellige corpus ; per non manufactam verò , gloriosum corpus , quali post generalem resurrectionem in coelesti Patria induemur.

13. Optimè callens Apostolus , Galathas , quos in Iesu Christi fide instituerat , à Pseudo-Apostolis quibusdam , Evangelium ad salutem neutiquam sufficere adstruentibus , fuisse seductos ; hanc , ut illos ad veritatem revocaret , dedit Epistolam.

14. Cepham , cui ob legalium observantiam in faciem restitit Paulus , à Petro fuisse longè diversum , Harduinus , Boyleaus , et Hector Pintus contendunt ; sed à vero maximè aberrant.

15. Non fictè , non simulatè , sed verè , et ex animo Apostolorum Principem Paulus increpuit.

16. Scriptam fuisse ab Apostolo Paulo ad Ephesios epistolam , dum Romae hic esset in vinculis , unanimis Interpretum consensus testatur.

17. Ex eodem carcere , quo propter Iesu Christi Evangelium Romae detinebatur Apostolus , directa haec fuit ad Christianos omnes , ex quibus sancta Philipporum Ecclesia coalescebat , Epistola.

18. Si Theodoretum excludas , nullo unquam tempore Colossensibus Evangelium praedicasse Paulum Apostolum , reliqui omnes interpretes docuerunt.

19. ; Ecquis igitur eorum Apostolus ? quidam pro Archippo , pro Epaphra ceteri decertant : nos in agone sensa nostra ostendemus.

20. Corinthi , non verò Athenis , uti quidam olim putarunt , primam ad Thessalonicenses Epistolam litteris signatam esse arbitramur.

21. Silvanus , cuius primo huius Epistolae capite Apostolus meminit , et Silas ab eodem in socium peregrinationis assumptus idem est ipse.

22. De alterius Epistolae ad Thessalonicenses scribendae tempore , argumento , et ratione percontari , si lubet , responsionem parabimus.

23. Missarum ad Timotheum , Titum , et Philemonem Epistolarum exponemus scopum , quò muneris nostri partes expleamus.

24. Certissimè tenendum est , ad Hebraeos Epistolam , quae D. Paulum eognoscit auctorem , Sacram esse Scripturam , eamque inter Canonicas ab Ecclesia receptam.

25. Licet non contemnenda sit eorum opinio , qui Epistolam ad Hebraeos Graeca lingua statuunt esse exaratam ; hebraicè tamen scriptam , plausibilis est , nostroque palato iucundius.

Reliquae Apostolorum Epistolae.

1. Aliqui quondam , an Iacobi minoris Epistola esset canonica , in dubium verterunt ; sed nullus iam est , qui , definiente Ecclesia , tandem non obmutuerit.

2. Prima Principis Apostolorum Epistola Romae fuit exarata , atque ad dispersionis Ponti , Galatiae , cet. advenas proculdubio directa.

3. Ut conversos ad Christum Iudaeos , qui Gentium incolebant Regiones , in fide Catholica confirmaret , hanc Petrus scripsit Epistolam.

4. Adversus Simonis Magi gregales , qui Apostolorum tempora macularunt , veraeque Religioni infamiae labem aspersere apud Gentes , iterum calamo manum Petrus admovit.

5. Primam Ioannis Epistolam et ab eodem fuisse conscriptam , et verè esse canonicam , communi totius Ecclesiae consensu aperitur.

6. Veram fidem , spem , et caritatem docere ; duplicemque nascentem haeresim confutare , huiusce est scopus Epistolae.

Hoc

7. Hoc primae Ioannis Epistolae testimonium: *tres sunt, qui testimonium dant in coelo*, cet. quo Divinarum personarum patet distinctio, genuinum est, et authenticum; de cuius proinde auctoritate nullatenus est dubitandum.

8. Non Ioanni Apostolo, sed alteri *Presbyteri* voce insignito secundam, et tertiam Epistolam quidam adscribēbant antiqui, sed omnium ex oculis demum nubes recessit.

9. De Caio, ad quem scribit Ioannes, deque Diotrephe de quo v. 9. fit mentio, pauca referemus.

10. Postrema ordine Biblico S. Iudae Apostoli Epistola ad eosdem, ad quos Principis Apostolorum binae, eos scilicet, qui ex circumcisione crediderant, scripta esse videtur.

11. In celebri, cognitoque omnibus loco Moysis corpus sepeliri, Michaeli Archangelo repugnante, Satanus moliebatur. Quid ita? Ut Hebraeos ad idololatricam proclives, ad tam immane, horrendumque scelus pelliceret.

Apocalypsis.

1. Apocalypsis, in qua quot verba, tot latent arcana, inter sacros, et canonicos libros meritò recensetur, quidquid blatterent infensissimi haeretici.

2. Imperii gubernacula moderante Domitiano sacram Apocalypsim in insula Patmos, ubi exulabat, litteris mandavit Ioannes Apostolus.

3. In septem visiones tota Apocalypsis materia dividitur. In his referendis, si vobis arriserit, immorabimur paulisper.

4. Per septem Spiritus, qui in conspectu throni Dei sunt, ex praecipuis Angelis septem intellige, quasi stipatores illius Maiestati assistentes, ad omne Divinum imperium sive per se, sive per inferiores Angelos exequendum paratos.

5. Angeli Ephesi Ecclesiae nomine, cui scribere iubetur Ioannes, S. Timotheum ab Apostolo Paulo ordinatum, et eiusdem Episcopum intelligi debere, minimè dubitamus.

6. Angelum Smyrnensis Ecclesiae non alium fuisse, quàm B. Polycarpum, et communis Interpretum est sententia, et temporum ratio plurimùm suffragatur.

7. De ceteris aliarum Ecclesiarum Episcopis, quibus Ioannem scribere Deus praecepit, nostram in arena exponemus sententiam.

8. Dilectus ille Christi discipulus, qui supra eiusdem pectus in coena recubuit, nec vivus in sepulcro iacet, nec ad alium translatus est locum, sed, quemadmodum et ceteri Apostoli, diem clausit supremum.

9. Execrabilem bestiam de mari ascendentem vidit Ioannes, quae non Antichristus, sed Paganum Romanorum intelligi videtur Imperium.

10. Ascendentem alteram de terra bestiam, quae se Ioanni praebuit conspiciendam, novos esse Ecclesiae inimicos, qui fictis miraculis, simulatis virtutibus, falsisque ratiunculis Catholicam Religionem evertere fuerunt conati, arbitramur.

11. Per sanctam Civitatem Ierusalem, quam cap. 21. v. 2. vidisse narrat Ioan-

Ioannes , novam Christi Ecclesiam designari docent Interpretes. ; Ast quaenam heec ? ; an triumphans , an militans ? in arena.

HISTORIA ECCLESIASTICA.

Primum Ecclesiae Saeculum.

1. Debellatis tandem infensissimis Religionis hostibus, excusso Scholarum pulvere, superatisque iis, quae circa Sacram Scripturam moveri solent, quaestionibus; ad Ecclesiasticam Historiam, qua nihil utilius, nihilque potest adinveniri iucundius, nostra progreditur oratio: Est quippe turpissimum, virum Ecclesiae mancipatum, aut ad huius munera contendentem, vel ignorare ea, quorum adiumento ad virtutes capessendas accendimur, et instigamur, vel dum ab heterodoxis temere, et audacter lacescimus, prorsus obmutescere. Igitur Romanorum Pontificum seriem, statuta à Conciliorum Patribus decreta, Imperii fastos, haereticorum commenta, Scriptorum opera, ubi difficultas appareat, diligenter investigemus.

2. A B. Apostolo Petro, eodemque sanctissimo Christi in hoc orbe Vicario rei totius exordium ducentes, supra universam Ecclesiam, reliquosque Apostolos non solum dignitatis, et honoris, sed etiam potestatis, et iurisdictionis Primatu à Iesu Christo fuisse donatum, aperte fatemur.

3. Ut visibilis Ecclesiae capitis primatum impugnent haeretici, Apostolorum Principem Romam advenisse inficiantur: sed vafrorum nebulonum insidiae traditione, velut radiis Solis clarissimis, dissipantur.

4. A secundo Claudii Imperatoris anno ad usque mortem Beatissimus Petrus Romanam gessit Ecclesiam.

5. Totius ergo antiquitatis ille se prodit ignarum, qui Coetus Apostolici caput vitae occasum Romae subisse negarit.

6. In Hispaniam nostram sese contulisse Petrum, eamque Divini verbi praeconio, suisque sacrasse vestigiis, quidam contendunt, quorum manibus nostras nectere (o utinam!) Critices regulae vetant omnino.

7. Antiochenae Ecclesiae fundamenta Petrus locavit, ipsique proximè successit Evodius.

8. Adeo perturbata, totque irretita difficultatibus priorum Pontificum apparet successio, ut inoffenso eam pede percurrere, sanè quàm arduum videatur; Petro tamen Linum, Lino Cletum, huicque successisse Clementem, fidenter adserimus.

9. Imperante dumtaxat Hadriano, haereses primum erupisse in Ecclesiam, Clemens Alexandrinus ostendere conatur; sed vel ab ipsis Ecclesiae incunabulis tam horrenda prodiisse monstra, nemo non videt.

10. Tria hoc saeculo ab Apostolis celebrata fuere Concilia, ad quorum amissim cetera deinde sunt acta. Illorum historicam dabimus expositionem.

11. Petulcos homines, praestigiisque obcaecatos hisce temporibus eructavit Infernus, qui Catholicam Religionem doctrinae scelestissimae lue (sed quam fru-

stra

stra!) inquinarent, prorsusque destruerent. ; Nostin? en Simò nem Magum, Saturninum, Basilidem, Menandrum, Cerinthum, Ebionem, Nicolaitas.

12. Apostolorum Principi Petro adscribitur Liturgia, quae purum, putumque sonat commentum.

13. Bibliothecae Patrum Graeco-Latinae tomo 2. altera B. Iacobi nomine offenditur insignita, quam vel hebetes, obtusaeque nares ipsi suppositam esse percipiunt.

14. In re Historica planè deprehenditur hospes, qui attributam Evangelistae Marco Liturgiam, suppositam, ipsique obtrusam esse, non animadvertat.

15. Aethiopum Missa Matthaeo Apostolo adscripta tot scatet erroribus, ut non ab alia, quàm ab imperita manu constructa esse videatur: cave ergo, ne Beati Evangelistae hanc opus esse, tibi persuadeas.

16. SS. Pauli, et Theclae Acta à subacti iudicii viris, et antiquitatem calentibus inter spuria, et apocrypha non immeritò collocantur.

17. Quamvis, quae nunc temporis extant et Pauli ad Senecam, et Senecae ad Paulum epistolae eruditissimis viris iure videantur suspectae; quasdam tamen Senecam ad Paulum, huncque ad illum direxisse, non ausimus inficiari.

18. Sybillarum carmina, quae octo libris in Bibliotheca Patrum modò clauduntur, penitus esse genuina, atque vitiantem non sensisse manum, negamus; ast earum, quae à SS. Patribus laudantur, oracula, tanquam Christianorum figmenta, reiicienda non sunt.

19. Testimonium de Messia verbis hisce conceptum: *Fuit hoc tempore Iesus*, cet. decimo octavo Antiquitatum libro assutum non est, sed à Flavio Iosepho, cui tanquam Parenti laudatum opus adscribitur, est certè prolatum.

20. Symbolum, quod Apostolicum dicitur, ab Apostolis uspiam conditum negant homines illi nequam, qui suoapte ingenio etiam rectè stabilita nituntur subvertere, quorumque ora argumentorum pondere omnino obstruemus.

21. Apostolicorum canonum, quos ab iisdem Apostolis editos esse, fuit multorum opinio, numerus videtur incertus.

22. Laudatos hos canones falsò Apostolis adscriptos dubitabit nemo, si in eisdem plura cum illorum doctrina pugnancia contineri conspiciat.

23. Inscriptae Apostolorum nomine Constitutiones sunt quidem apocryphae, ab Ecclesiae doctrina prorsus alienae, illisque, et Clementi Romano suppositae.

24. Novem canones, qui Antiocheno cuidam Apostolorum Concilio adscribuntur, apocryphi sunt, planèque supposititii.

25. Collectas ab Isidoro Mercatore veterum Romanorum Pontificum ad usque Siricium Decretales Epistolas illorum foetum non esse, apertè fatemur.

26. Pastoris librum ex Canonicorum catalogo iure expunxit Gelasius: illum tamen velut Novatianorum, et Pelagianorum dogmatum fontem, ac Montanistarum superstitionum gurgitem exagitare, nihil est aliud, quàm haereticorum calumnia.

27. Totum id opus, quod in tres partes, *Visiones* scilicet, *Mandata*, et *Similitudines* dispertitur, Hermam Pauli discipulum dignoscit Parentem.

28. S. Andreae passionis Acta piam non ne mo appellitat fraudem , ineptumque Monachorum ingenium : nos verò genuina ea esse , atque ab Achaiae Presbyteris conscripta fuisse ostendemus.

29. S. Martialem binas Epistolas , unam ad Burdigalenses , alteram ad Tolosanios ferunt scripsisse , quas spurias esse , non temere arbitramur.

30. Decem Recognitionum S. Clementis ad Iacobum fratrem Domini libros velut apocryphos eruditi omnes explodunt : horum rationibus nos obsequentes invenies.

31. Septem epistolae , quae B. adscribuntur Ignatio , ad Ephesios nimirum , ad Magnesianos , ad Trallianos , ad Romanos , ad Philadelphenos , ad Smyrnaeos , et ad S. Polycarpum , ab Usserio , et Vossio pristinae redditae fidei , germanae sunt , et veri , genuinique Martyris sanctissimi foetus.

32. B. Ignatii doctrinam Arianismi errore conspurcatam inconsultè effutiunt nonnulli , quos palam mentiri , fabulamque proferre , firmissimis demonstrabimus argumentis.

33. Imperatores , qui vero Numinis cultui abolendo , Ecclesiaeque firmitati destruendae opem , ingeniumque , irrito tamen conatu , admoverunt , ostendemus rogati.

34. Domitius Nero post hominum memoriam scelestissimus saevissimam in Christianos persecutionem excitavit , quae non Romae tantum , sed in omnibus Provinciis Romano Imperio subiectis latissimè desaevit.

35. Quid quinquennialium , decennialium , vicennialium , cet. vocibus intelligatur , nostrum erit aperire.

Secundum Ecclesiae Saeculum.

1. Anacletum à Romanorum Pontificum albo temere , et inconsultò quidam abradunt , alii cum Cleto confundunt , alii , quorum sententiae subscribimus , ab hocce distinctum , et post Clementem ad Ecclesiae clavum sedisse constituunt.

2. Evaristo titulorum erectionem tribuimus , ; ast quaenam vocis huius legitima notio ? non gypsatas illas tabellas , quibus causae inscribebantur reorum , sed loca Domino consecrata , quibus Sacerdotes , et Ministri erant addicti , intelligi volumus.

3. Praescriptae à Sixto I. Ecclesiasticae Epistolae , quae dicebantur Formatae , aliae Commendatitiae , aliae Pacificae , aliae Dimissoriae , Communicatoriae aliae. De his omnibus rationem reddemus.

4. S. Polycarpo id Anicetus Papa persuadere non potuit , ut Pascha Luna XIV. more Iudaico non celebraret : caritatis tamen vincula neutiquam propterea fuere discissa.

5. Petri Cathedram gubernante Victore , de Paschatis celebrandi tempore controversia longè magis exarsit : hinc plurima ad hanc dirimendam quaestionem Concilia coacta , quae omnia Romanae Ecclesiae acquievere iudicio , si Ephesium à Polycrate Sedis huius Episcopo celebratum excludas , quod unum dumtaxat à Victoris definitione recessit.

Quae

6. Quae inter Asiaticos, aliarumque Ecclesiarum Episcopos de legitimo celebrandi Paschatis tempore agitata fuit, quaestio non quidem ad fidem, sed ad Disciplinam solummodo pertinebat.

7. Victor Pontifex Maximus comminatoriis litteris perstrinxit Asianos, veteris consuetudinis de celebrando Luna XIV. Paschate retinentissimos; sed intra minas haesit, nec ipsos à communionem revera praecidit, Sancto Irenaeo pacem curante.

8. Controversia de Paschatis tempore in magna Synodo Nicaena tandem fuit ad finem perducta; ibique, ut Dominica proximè sequente Lunam decimam quartam post vernalis Aequinoctium elucescentem celebraretur, Oecumenico Decreto fuit sanè constitutum.

9. Turpissima infamiae labe aspergitur Victor, qui, si insanis obtreptatoribus adhibetur fides, Christum purum esse hominem dogmatizavit. Sed quis eum à crimine, propter quod Theodorum Corarium ab Ecclesia reiecit, purgare non satagat?

10. Ex Inferis eruperunt hoc saeculo Carpocratis, Adamitarum, Valentini, Encratitarum, Marcionis, atque Montani perversissima dogmata, ex quibus non minus nefanda germina pullularunt. En nos ad eas explanandas accinctos.

11. Multis opus non est, ut impium Marcionem sub Antonini Pii imperio nefaria suae haereseos dogmata sparsisse, probemus.

12. Duos tantummodo Deos, unum scilicet bonum, alterum verò malum, Mundi huius aspectabilis creatorem, Marcion agnovit.

13. A pientissimo Episcopo, eodemque patre suo ob illatum virgini stuprum ex Ecclesia eiectus fuit Marcion, qui cum ab illo nec veniam impetrare, nec communionem posset obtinere, Romam est quidem profectus.

14. A patris sententia ad Apostolicae Sedis tribunal provocasse Marcionem, nullo tamen modo arbitramur.

15. Montanus, purique Montanistae de Sanctissimo Trinitatis Mystério rectam tenere doctrinam.

16. Inter sidera, quae hoc saeculo irradiarunt, clarissima, quaeque lucis splendore haereticorum nebulas dissiparunt, commemoratione dignus est S. Iustinus, à quo tam longè abfuit, ut in Arianorum errorem incideret, ut potius aeterni Verbi praedicaverit Divinitatem.

17. Irenaeus Lugdunensium Antistes Divinarum Personarum trinitatem, Verbi aequalitatem cum Patre perspicuè monstravit.

18. Melitonem Sardicensem in Asia Episcopum existimasse Deum esse corporeum, quidam suspicantur, quos in suae opinionis praesidium nihil nisi imbelles, fluxasque ratiunculas adferre videmus.

19. Liber de transitu B. Virginis Melitoni attributus, omnium Criticorum consensu est spurius censendus.

20. In Clementis Alexandrini, qui ob inexhaustae doctrinae, et sacrae, atque exoticae eruditionis copiam *Christianae antiquitatis Varro* appellatur, operibus quidquam inveniri non valet, quod pravitatem sapiat Arianam.

Athe-

21. Athenagoras acerrimi ingenii, omnigenae eruditionis, ac incredibilis in rem Christianam studii specimen dedit in Apologia, in qua adversus Christianos sparsum triplicis flagitii, videlicet atheismi, humanae carnis esus, et incesti concubitus rumorem dispellit.

22. Q. Septimius Florens Tertullianus ad Montani castra defecit, eiusque errorum infelix sectator evasit.

23. Inter Theologos bene multi inveniuntur, qui Tertullianum ab Anthropomorphitarum haeresi strenuè vindicant: nos illis nostrum nomen concedimus, huncque ab impio, crassoque errore contendimus immunem.

24. Quaedam in Tertulliani scriptis duriores voces apparent, propter quas haeresis, quam postea Arius disseminavit, ab eruditis viris ipsi labes aspergitur: non desunt tamen primi subsellii theologi, quorum nobis magis probatur sententia, ab Ariana perfidia alienum omnino eum demonstrantes.

25. ; Ast quid de Eucharistia Tertullianum pronuntiasse dicemus? ; Putavitne Eucharisticum panem Corporis Christi meram esse figuram? ita tanquam suo faventem errori ostendant haeretici; sed vana tantum nanciscendi Patronum spes eos delusit.

26. Millenarium Christi regnum, quod quasi traditione non scripta ad se pervenisse Papias ostendit, cuiusque ova pridem, obsceno tamen modo, emisit Cerinthus, risu, imò cachinnis excipimus.

27. Traiani Imperatoris ex Inferis S. Gregorii precibus liberatio prorsus est commentitia, nec à viro Theologo ullatenus est asserenda.

28. Antoninus, qui à Romano Senatu cognominatus est Pius, Christianis minimè infensus adstruitur; at, ut nostra est opinio, non adeo fuit mitis ingenio, ut ab eorum caede abstineret omnino.

29. Petulantis ingenii Calvinista Ioannes Dallaeus Catholicam Ecclesiam cum Montanistis in ieiuniorum Disciplina convenire contendit; sed quae ab eis ieiunia tuere conficta, nihil cum nostris consanguinitatis habere, fit nobis perspicuum.

30. Quadragesimale ieiunium ab initio nascentis Ecclesiae ad Iesu Christi imitationem fuit ab Apostolis indictum, atque institutum: perperam ergo Sancto Telesphoro eius tribuitur constitutio.

31. Antepaschale ieiunium quadraginta circiter diebus fuisse absolutum, idque trium priorum Saeculorum Christianos summa observasse religione, ex Apostolica accepimus traditione.

32. Ieiuniorum, quae quatuor Temporibus religiosè in Ecclesia observantur, originem in Circo ostendemus.

Tertium Ecclesiae Saeculum.

1. Zepherinum Romanum Pontificem Montanistarum adhaesisse deliramentis, falsas ipsorum approbasse Prophetias, eisque pacem restituisse, ad elevandas supremi Ecclesiae capitis definitiones urgent heterodoxi, sed imperitè, falsò, et iniquè.

2. Zepherino successit Callistus, qui celebre via Appia Coemeterium extruxit.

Hoc,

Hoc , quemadmodum et cetera , queis Romana Urbs exornatur , Ethnicorum monumenta esse , Novatores mentiuntur , quorum errorem validis retundemus argumentis.

3. Audiendi illi non sunt, qui post Pontianum in Apostolicam Cathedram Cypriacum quemdam inducunt , cum neque ulla id ratione , neque antiquorum testimonio fulciatur.

4. Romanus Pontifex Lucius et innumeris in exilio vexatus incommodis , et capitis obruncationem deinde perpessus , geminatum Confessoris , et Martyris honorem accepit.

5. In Idolorum thurificationem Diocletiani persecutionis metu correptum , prolapsus fuisse Marcellinum Pontificem , pura est à Donatistis excogitata calumnia , quae nullius documenti firmitate monstratur.

6. Primus , qui inter Catholicos , ab haereticis Baptismatis lavacro regeneratos iterum baptizandos esse dogmatizavit , Agrippinus fuit Carthaginiensis Episcopus.

7. Cyprianus , eiusque Collegae non ad fidem , sed ad Disciplinam dumtaxat controversiam de Baptismo attinere putarunt.

8. Stephanus vigilantissimus traditionis Apostolicae custos , formula à Christo praescripta extra Ecclesiam baptizatos , ad hanc redeuntes iterum tingi prohibuit ; non verò omnem promiscuè baptismum in haeresi administratum probavit.

9. Cypriano , Firmiliano , eisque adhaerentibus anathema minitatus est clarissimus Pontifex , quod ad finem numquam perduxit.

10. Cyprianum , et Firmilianum Rebaptizantium errorem deposuisse , ita obscurum , implexumque est , ut definiri nullatenus valeat.

11. Cyprianus , ceterique Rebaptizantes Stephani Papae Decreto venerationem non impendentes , eumque sanctissimum virum asperis verbis , iniuriisque opprimentes , à recti tramite deflexerunt : eorum tamen errori aliquam excusationis veniam haud negamus posse concedi.

12. Aliorum Ecclesiae Patrum , scilicet Dionysii Alexandrini , Basilii , Athanasii , Optati Milevitani , et Cyrilli Ierosolymitani ita circa hanc controversiam obscura sunt verba , ut eorum mens detegi non valeat.

13. Agrippinus , eiusque successor Cyprianus pro confirmando , quo imbuti erant errore , nonnulla coëgere Concilia , ex quibus nullum alicui fulcimentum , nullumque potest advenire praesidium.

14. In plenario Concilio , remotis tandem dubitationibus , Catholica , quam antea docuerat Stephanus , firmata est sententia . ; At quodnam illud Concilium ? ; Utrumne primum Nicaenum , an Arelatense ? nos illud fuisse iam diu censuimus.

15. Sinuessanum Concilium , in quo Marcellini Pontificis causa , posteaquam Idolis thus immolaverit , discussa fuit , falsum quidem , penitusque est commentitium.

16. Perditissimi hoc saeculo prodire homines , qui excusso Catholicae Ecclesiae iugo , veritatem contaminare tentarunt . Pecudum harum gregem referre non erit nobis molestum.

17. Origenes , qui sive propter rationes , quibus est usus , sive propter ea,

quae Religionis , et studiorum causa toleravit incommoda , dictus est Adamantius , plura concinnavit opera , in quibus Tetrapla , Hexapla , et Octapla : de his , ceterisque ab ipso elucubratis , dum vobis arriserit.

18. Cum ad Origenis Scholam non solum viri , sed et mulieres forma plerumque elegantes confluerent ; suae hic castitati timens , seipsum fecit eunuchum : ast haec eviratio canonicum non fuit eius ordinationis impedimentum : perperam ergo , et iniquè ob id facinus exagitavit eum Demetrius Alexandrinus Episcopus.

19. Ingravescente Decii persecutione multa pro Christo probra toleravit Origenes : sed improbitatis ministris eum ad turpitudinem adigere volentibus , Idololatriae crimine sese inquinavit.

20. Origenis doctrinam ab omni errore immunem asserere , vetant Patrum de ipso , et Ecclesiae iudicia , prohibentque eiusdem libri , qui gravissimos errores , quorum insimulatus est , repraesentant.

21. De aeterna filii Dei maiestate , atque Divinitate pessimè sensit Origenes.

22. Imbellis , pravique Pelagianorum , ac Semipelagianorum aedificii iecit Origenes fundamenta : prius ergo corvi mutabis colorem , quàm ab errore purges hunc virum.

23. Qui Origenis patrocinium ita susceperunt , ut eius sectati fuerint errores , tanquam haeretici damnati sunt ab Ecclesia.

24. Illi verò , qui virum hunc ita ab haeresi vindicarunt , ut ipsius errores non propugnarent , sed illos ipsi perperam affictos contenderent , aut à pravis haereticis intrusos , insimulari non debent.

25. Adversus impium Sabellium scribens S. Dionysius Alexandrinus , eiusque impugnans errorem ; visus est inflecti in extremum , ac essentiae Divinae inficari unitatem ; sed ab hac calumnia , missa ad Romanum Pontificem apologia , sese ipse purgavit.

26. Plurima extant , et quidem clarissima à SS. Cypriano , et Gregorio Thaumaturgo opera elucubrata : alia ipsis falsò adscribuntur : nostri erit muneris haec ab illis secernere.

27. Fervente Decii in Christianos saevitia , Libellos Martyrum seditiosè lapsi praetexebant , ut nulla licèt poenitentia functi , veniam ab Ecclesia obtinerent ; illisque muniti , Communionem invadere volebant.

28. Lapsorum haec postulatio , qua Ecclesiae communionem , et absolutionem , nulla poenitentia peracta , extorquere tentabant , omnino fuit temeraria.

29. Romana Ecclesia unà cun Sancto Cypriano lapsorum tumultus fiduciaris primùm Decreto compescuit ; dein persecutione sedata , ad Communionem recipiendos Libellaticos , plenam vero sacrificatis poenitentiam agendam esse ; ita tamen ut his in exitu concederetur absolutio , peremptorio constituit iudicio.

30. Antiquus mos fuit , ut carceres lustrarent Diaconi , Martyrumque desideria suis gubernarent consiliis , ne videlicet nimia lapsorum importunitate aut decepti , aut compulsi , pro omnibus , vel pro his , quibus ob criminis gravitatem poenitentiam augeri magis , quàm relaxari deceret , precibus apud Episcopos uterentur.

31. Verbo , vel litteris Confessores monere solebant Episcopi , ne in litteris pacis concedendis lapsorum petitionibus nimis indulgerent.
32. Quamvis pacis libellos Martyres lapsis tribuerent ; his tamen pacem minimè , sed Episcopos dumtaxat deprecabantur.
33. Martyrum preces , et desideria discutiebant Antistites , qui ob illorum honorem , et reverentiam Ecclesiasticae Disciplinae severitatis quidquam remittebant , lapsosque , antequam plenam poenitentiam egissent , ad communionem , admittebant.
34. In pacis Libellis à Martyribus lapsis concessis ii , quibus pacem efflagitabant , nominatim erant designandi.
35. Iis tantummodo praefatos Libellos Martyres concedere poterant , quos verè agnoscerent , quorumque poenitentiam satisfactioni proximam conspicerent.
36. Martyrum Libelli ab eorum obitu , et post persecutionem sopitam vim dumtaxat habebant.
37. Qui Martyrum Libellis muniti , vel ante persecutionem sedatam , vel ante peractam poenitentiam in mortis veniebant discrimen , Libellorum fruebantur affectu , et pacem , Communionemque accipiebant.
38. Lapsis impertiendae Absolutionis Sacramentalis facultas nusquam fuit concessa Diaconis , nec ex S. Cypriano oppositum colligi valet.
39. Libellaticorum crimen sanè erat gravissimum , atque ad nefandum Idolatriae scelus proximè accedebat.
40. Quamvis Libellaticorum nonnullos fidem negasse in dubium revocari non possit ; id tamen de omnibus asserere , nullatenus audemus.
41. Triplicis poenitentiae , scilicèt privatae , sollemnis , et publicae usus extitit olim in Ecclesia.
42. Ab Ecclesiae exordio ad usque Montanum poenitentiae publicae , non tamen sollemnis , aliquis usus invenitur.
43. De fletibus , audientibus , substractis , et consistentibus atque de ritu in imponenda publica poenitentia , et in reconciliatione servato iucundum texemus sermonem.
44. Solemnis poenitentiae rigor à tempore Nectarii , qui Poenitentiarium exactoravit , in Orientali Ecclesia coepit diminui : in Occidentali verò diutius permansit.
45. Occultorum peccatorum reis confessionem publicam Ecclesia nunquam praecepit.
46. Publica peccata publicae fuisse obnoxia confessioni , idque ex canonum prescripto , nullo antiquitatis probari valet testimonio.
47. Primis Ecclesiae Saeculis quidam poenitentes , secreta confessione peracta , aliqua non solum publica , sed etiam occulta peccata , poenitentiae fervore excitati , et hortante , non verò Confessario cogente , publicè confitebantur.

Quartum Ecclesiae Saeculum.

1. Sirmiensi fidei formulae ab heterodoxis oblatae subscripsit tandem Romanus Pontifex Liberius. ; at cuinam profectò ? primae contra Photinum editae , non verò secundae.
2. Asportato in exilium Liberio , ad Romanae Ecclesiae regimen ab Imperatore Constantio promotus fuit Felix , quem quo pacto verum , legitimumque Pontificem quidam appellent , assequi non possumus.
3. E vivis sublato Liberio , Damasus Hispaniae ornamentum , et decus successit : hancce gloriam invidi homines nobis adimere , sibi que arrogare moliuntur ; sed quibus ducti argumentis ? iis equidem , queis fidem qui adhibeat , totius antiquitatis sese ignarum profiteri necesse est.
4. Anno Aerae communis 325. Silvestri Pontificis 12. Constantini Imperatoris 20. Paulino , et Iuliano Consulibus , Nicaeae in Bythinia Oecumenicum primum Concilium fuit celebratum.
5. Nicaenum hocce Concilium eodem vigesimo Constantini Imperatoris anno fuit absolutum.
6. Triplici de causa Synodus prima Nicaena fuit convocata , ad Arianae haereseos damnationem , Ecclesiarum circa Paschatis celebrandi tempus componenda dissidia , atque ad Meletii schisma extinguendum.
7. A Constantino Imperatore , annuente autem Silvestro Romano Pontifice , fuit haec Synodus convocata.
8. Oecumenico laudato Concilio trecenti decem et octo interfuerunt Episcopi.
9. Osius Cordubensis Antistes , Vitus , ac Vincentius Urbis Presbyteri , Silvestri Pontificis Maximi vices gerentes , Synodo huic praefuerunt.
10. Aeternum Dei filium Patri esse *omoousion* , rectè professi sunt Nicaeni Patres , qui eandem vocem fidei Symbolo appositè , ac prudenter inseruerunt.
11. Vocem *omoiousion* , qua Catholicam exprimi fidem , quidam contendebant Episcopi , meritò Synodus Nicaena reiecit , cum in ea Arianorum latitaret perfidia.
12. Fidei formulae à Nicaeno Concilio prolatae non solùm Catholici , sed etiam quotquot erant Ariani , subscripserunt Episcopi. ; Impietatisne parentem scelestissimum Arium eadem praestitisse dicemus ? in agone interrogati resolvemus.
13. Viginti tantummodo canones à Nicaenis Patribus editi fuere : unde eos , qui Arabici vulgò dicuntur , tanquam spurium Nicaenae Synodi foetum reiicimus.
14. Sextus Nicaenae Synodi canon de Patriarchis est quidem intelligendus : ; ergo Romani Pontificis Primatus auctoritas eo nec minimùm extenuatur.
15. Licèt Ariminensis Concilii Patres ab omni prorsus culpa non vacent ; perversum tamen Arianorum errorem amplexati non sunt.
16. Clarissimus ille Confessor , Conciliorumque Parens , ac Princeps , qui egregiam pro Catholica fide operam navaverat , Osius , inquam , cum esset iam senex , sibi que inflictarum haereticorum calliditate plagarum vi undique quateretur , Arianorum impietati subscripsit.

Tan-

17. Tantum profectò abest , ut insignis hic vir in haeresi , ac impietate diem clausit supremum , quin potius iam iam moriturus , Arianorum vim protestatus est , perfidumque ipsorum errorem diris omnibus devovit.

18. Sardicensis Synodus , quae ab urbe Illirici Sardica fuit appellationem sortita , in Oecumenicorum Conciliorum catalogo debet collocari.

19. Osius Cordubensis Episcopus , Archidamus , et Philoxenus Presbyteri , Pontificis Maximi Legati Concilio Sardicensi praefuerunt.

20. Nulla fidei formula , nullumque ad fidem spectans Decretum poterunt inveniri , quae in Sardicensi edita fuerint Concilio ; Nicaeni tamen fides in eo fuit confirmata.

21. Damaso Catholicam Ecclesiam regentem , ac Magno Theodosio Imperii habenas moderante , Oecumenica Synodus Constantinopolitana prima haud dubie fuit convocata.

22. ; Ast quò fieri potuit , ut Oecumenicum fuerit hoc Concilium ? in varias abire sententias haec difficultas adstrinxit : sentiant tamen alii quidquid arriserit , nos hoc planè modo statuimus : Orientalis Ecclesia tunc temporis congregata Occidentali à Damaso coactae in unam , eandemque fidem conspiranti amico foedere fuit copulata.

23. Symbolum Constantinopolitanum , tanquam fidei tessera , semper fuit à Catholica Ecclesia receptum.

24. Inter ceteros , qui hoc saeculo turbarunt Ecclesiam , sese praecipuè erexerunt Arius , Macedonius , Apollinaris , Photinus , Priscillianus , Helvidius , Iovinianus , quorum imbutam erroribus mentem explicabimus.

25. Magnanimus Christi athleta , strenuusque Catholicae fidei defensor Athanasius blasphema Arii dogmata nullo unquam tempore propugnavit : igitur in malam rem abeat Volsogenius , qui tam impudenti mendacio tanti Doctoris famam nisus est vellicare.

26. Inscriptum Athanasii nomine Symbolum celeberrimo huic viro quidam putant esse suppositum ; alii verò tanquam genuinum eius foetum extollunt : nos utriusque sententiae fulcra , et munimenta adferemus , atque dimicantis arbitrio propugnandam opinionem relinquimus.

27. Magnus Basilius Caesareae Episcopus Catholicam de SS. Trinitatis mysterio doctrinam ad mortem usque constanter retinuit.

28. Eusebium Caesariensem Episcopum Ario favisse , nemo est , qui non fateatur , cum id evidenter demonstrent Ecclesiasticae Historiae monumenta.

29. Quamvis Nicaenae fidei formulae Eusebius subscripserit ; eius tamen facta , et scripta suae Orthodoxiae famam verterunt in dubium.

30. S. Ioannem Chrysostomum de clara Dei visione non satis sincerè fuisse loquutum , imò , ut Anomaeorum declinaret errorem , eam negasse , effutiit Vasquezus ; sed nullius apud viros doctissimos pretii sunt huius momenta.

31. Perperam etiam tanto huic viro affingunt nonnulli errorem de dilatione beatitudinis Sanctorum ad diem usque iudicii.

32. Nec fidei , et salutis initium liberi arbitrii viribus adscripsit Chrysostomus , sed de Divina gratia catholicè sensit.

33. Quidquid sit de Epistola ad Caesarium Chrysostomo inscripta, de qua acriter eruditi contendunt; adversus transubstantiationis dogma nihil ex ea valet inferri.

34. Visio S. Petri Alexandrini de Ario, et eiusdem Martyris Acta falsitatis, et suppositionis meritò habentur suspecta.

35. Coeleste signum, Crux nempe rutilans, ac protensa, fulgentibus undique circa illam stellulis, et litterarum forma exprimentibus: *in hoc vinces*, Constantino adversus Maxentium pugnaturo apparuit: audaci temeritate miraculum hocce negat Ioannes Hoornebeek, sed sibilis potius explodendus, quàm rationibus confutandus hic homo.

36. Constantinum priusquam ei Crucis signum affulserit, superstitionis expertem non fuisse, ultro, libenterque fatemur; at iis assentiri non possumus, qui ab accepta iam fide degenerasse, atque Haruspices decrevisse consulendos, cum Baronio contendunt.

37. Lepra maculatum fuisse Constantinum, expiatumque baptismate, sibi aliqui persuaserunt: verùm nemo, cui mica sit salis, subdola, ac supposititia esse scripta, quibus id evinci perhibetur, non deprehendet.

38. Constantinus Magnus non Romae, ut putat Annalium Parens Baronius, sed Nicomediae, extremum iam diem sibi imminere odoratus, sacro Baptismi lavacro fuit regeneratus.

39. Religiosissimum hunc Principem morti proximum in Arianismum declinasse, non levis est gravissimorum virorum suspicio; sed nos Catholicam fidem semper illibatam, immaculatamque servasse profiteamur.

40. Nihil est apud nos vulgatum magis, ac notum, quàm imperante Constantino Ierosolymis salutiferam Christi Crucem fuisse adinventam: id tamen ab iis qui maiorum traditiones irrident, in dubium revocatur; sed suis ratiunculis argumentorum nostrorum vim nunquam eludent.

Quintum Ecclesiae Saeculum.

1. Innocentius I. S. Ioannis Chrysostomi, qua par erat, constantia, partes suscepit; at verò in Arcadium, et Eudoxiam ob procuratam celeberrimi huius viri depositionem, et exilium anathematis fulmen nunquam intorsit.

2. Adversus Pelagium, et Caelestium tres clarissimus hic Pontifex rescripsit Decretales Epistolas, in quibus nunc expurgatis nihil prorsus occurrit, quod morosis Criticis valeat stomachum commovere.

3. Caelestius à Patribus in Synodo Cartaginiensi anno 412 celebrata damnatus, ad Sedem provocavit Apostolicam.

4. Lenius, quàm severior Ecclesiae Disciplina postulabat, se gessit Zozimus Pontifex Maximus; verùm in Pelagiana Dogmata nullo unquam tempore consensit.

5. Impii, blasphemique Pelagii errorem nusquam suo calculo Diospolitana Synodus approbavit, sed potius damnavit; quamvis decepta illum absolverit sycophantam.

Ephe-

6. Ephesinum Concilium, in quo Nestoriana haeresis fuit penitus contrita, Theodosio iuniore Caelestini auctoritate fuit revera convocata.
7. Oecumenico Ephesino Concilio suae celebrationis exordio praefuit Cyrillus Alexandrinus, qui Caelestini Pontificis legatione fungebatur.
8. Pervenientibus tandem Caelestini Legatis Arcadio, et Proiecto Episcopis, ac Philippo Presbytero, sacrae hi Synodo praefuerunt. Quid? eo tempore Cyrillum suo munere deturbatum putamus? imò in eodem usque ad finem permansit.
9. Imperator Marcianus Oecumenicam Synodum IV. scilicet Chalcedonensem S. Leonis Romani Pontificis auctoritate convocavit.
10. Chalcedonensi Concilio praefuit S. Leo per suos Legatos Paschasinum Lylibetanum, et Lucentium Asculanum Episcopos, et Bonifacium Presbyterum, quibus Iulianum Coensem, ut consiliorum participem potius, quàm legationis socium adiunxit.
11. Dogmaticam S. Leonis Epistolam ex officio suscepit, atque approbavit Synodus Chalcedonensis, cum prius eam ad fidei regulas expendisset.
12. Ab impiissimo homine, cuius delenda erat memoria, Pelagio, inquam, Pelagianorum haeresis suum fuit nomen sortita.
13. Ruffinum aliquem, quisquis hoc nomine delituerit, prodromum fuisse Pelagii, nemo unus vertit in dubium: at quisnam subdolos ille nefariae doctrinae propagator? Aquileiensem fuisse haud temere pronuntiamus.
14. In eodem volutatus est luto Mopsuestiae Antistes Theodorus, qui à Paulo Samosateno pestiferum suxit venenum.
15. De Pelagii Patria, genere, instituto, et scriptis quidquam recitabimus.
16. Fidissimum Achatem, comitemque individuum nactus est Pelagius Caelestium, cuius in propaganda haeresi ita fuit vehemens studium, et insomnis sollicitudo, ut illius discipuli ab huiusce nomine vocarentur etiam Caelestiani.
17. Plurimis Conciliorum canonibus, Romanorum Pontificum decretis, atque Imperatorum constitutionibus Pelagianam haeresim fuisse profligatam, innumera monumenta suadent.
18. Quatuor Pelagianae haereseos status quidam distinguunt Theologi, quibus vale dicimus, tresque solummodo enumeramus.
19. In primo haeresis statu nullum interioris gratiae auxilium improbus haeresiarcha cognovit, sed liberum arbitrium ad rectè vivendum, Deique servanda mandata sat esse dicebat: legem tamen non repulit, neque doctrinam.
20. Gratias actuales interiores ex parte intellectus, internas videlicet revelationes, mentisque illustrationes in secundo statu Pelagiani admiserunt. Utrumne eas omnino necessarias, an tantum utiles existimaverint, inexplorata res est, et penitus incerta.
21. Possibilitatis gratiam concessere Pelagiani; sed in quo eam collocarent, an in sola lege, et doctrina, an in quodam alio ampliori adiutorio, nostram latet notitiam.
22. In postremo suae haereseos statu invictis Catholicorum argumentis sub-

cti,

cti, et Ecclesiae prostrati anathemate, operis, et voluntatis gratiam Pelagiani approbarunt, sed falsis interpretamentis vim eius reliquerunt exhaustam, ac veritatem ipsam incrustarunt.

23. Habitualement gratiam Pelagiani acceperunt, ast non eo quidem modo, quem rei veritas postulabat.

24. Pelagiana haeresi in oceanum tendente, quaedam permanserunt flammae ex magno incendio superstites. Galli nonnulli in errores Pelagianis, quos cum universa execrabantur Ecclesia, affines impegerunt, hincque Semipelagiana haeresis sumpsit exordium.

25. Probabilius est, Semipelagianorum nullum ad fidei initium praevenientis gratiae indifferentis, et reapse voluntati collatae necessitatem praedicasse.

26. Ex Semipelagianis ii saltem, qui in solo gratiae consensu initium fidei reponebant, ad actus formatos cooperantem admisere gratiam, quae, ut oblata, omnem voluntatis praeveniret consensum; ut collata autem, sequeretur.

27. In Adrumetino Monasterio nulli extiterunt Praedestinatiani.

28. Neque in Galliis Coelestini I. Pontificis aetate haeresis emersit Praedestinatiana, neque adversus eam S. Augustini, aut Coelestini opem Prosper, et Hilarius implorarunt.

29. Cum obiectionibus, et calumniis, quibus Massilienses Sancti Augustini, eiusque discipulorum diffamarunt doctrinam, Praedestinatianorum dogmata conveniunt.

30. Lucidus Presbyter, quem perpauca fuisse sequutos fatemur, hanc haeresim fuit revera amplexatus: unde imaginaria censenda non est.

31. Nestoriana haeresis non adulterinus, sed genuinus est foetus despectissimi hominis, miserrimique Nestorii, qui duplicem Christo affinxit personam, Beatamque Virginem Mariam Deiparam esse ore impudentissimo pernegavit.

32. Albertinus Calvinista, alique ex heterodoxorum castris temerarii homunciones Nestorii patrocinium susceperunt: sed, qui fidem iis adhiberet, ineptire dicemus.

33. Adversus Nestorium vehementissimo zelo, non tamen secundum scientiam pugnans Eutyches, in extremum fuit abreptus errorem.

34. In eo Eutychetis error positus erat; quod duas in Christo naturas post incarnationem negaret, unamque dumtaxat assereret ex humanae, Divinaeque velut mixtione, et confusione resultantem, vel unius in alteram naturae conversione, id est, aut Divinitatis in carnem, aut carnis potius in Divinitatem.

35. Adversus nefaria Pelagianorum commenta SS. Ecclesiae Patres, clarissimi que Doctores viritum, constanterque certarunt: in iis primum obtinet locum S. Hieronymus, quem ab erroribus Semipelagianorum satis non recessisse, auctoritat Iansenius: sed quis eum in meridie caligare non videt?

36. Fulgidissimum Ecclesiae astrum Augustinus, cuius effusis undique scriptorum suorum radiis dissipata est tenebrosa errorum caligo, contra gratiae Dei inimicos ita pugnavit, et vicit, ut eos nec passus fuerit respirare. Egredia eius scripta omnium, quibus placuerit, mentis oculis subiiciemus.

Illus-

37. Illustris Hispaniae Presbyter Orosius non tam in sui defensionem , quàm ad detegendam tergiversationem , fraudemque Pelagii , et Catholicam fidem propugnandam coactus est librum Apologeticum edere , pluribus quidem ignotum , à pluribus etiam inter spuria reiectum , à nobis verò ipsi tanquam legitimo Parenti attributum.

38. Cassianus in suis Collationibus Semipelagianorum tradidit errores ; verùm tam praeclari viri famae , ac sanctimoniae nec quidquam id obest.

39. Faustus Reiensis Episcopus , cui ab Arelatensibus , et Lugdunensibus Patribus adversus quosdam circa praedestinationem errores scribendi demandata erat provincia , veritatis limites praetergressus , totum se prodidit Semipelagianum.

40. Cassiani partibus adhaesisse Hilarium Arelatensem Episcopum , et Semipelagianorum errorum infectum fuisse fuligine , nemo poterit diffiteri : an suum tandem errorem agnoverit , incomperta res est.

41. S. Cyrillo Alexandrino non tantùm immanitatis , et caedis , verùm etiam Apollinaristarum , atque Arianorum haeresis à nonnullis impactum est crimen , quorum argumenta ad hanc venditandam fabellam nihil aliud , quàm aranearum telas censemus.

42. Ioannes Antiochenus , et Orientales Episcopi , quamvis in Nestorianae haereseos venerint suspicionem ; Nestorii tamen personae dumtaxat , non causae , aut errori faverunt.

43. Theodoretus , etsi ut Catholicus , à Romano Pontifice ad communionem fuisset admissus ; ut tamen ab haereseos suspitione sese plenè purgaret , haeresim , eiusque auctorem , quemadmodum et facere consueverant ceteri , quorum fides erat suspecta , in Synodo damnare meritò fuit coactus.

44. Clarissimis , sanctissimisque viris Ambrosio , et Augustino Eucharisticus hymnus *Te Deum laudamus* cet. iure tribuitur.

45. Zenonis Henoticon , quamvis haeresim disertè nullam amplexaretur ; non immeritò tamen piissimorum virorum fuit passum repulsam.

Sextum Ecclesiae Saeculum.

1. Excitatam ab Scythis Monachis *de uno è Trinitate in carne passo* controversiam ob vocabulorum novitatem , et ne ab Eutychnianis in malam partem traheretur , compescere studuit Hormisdas Pontifex Maximus.

2. Scythae Monachi ab Eutychniana haeresi , quam ipsis affinxit Annalium Parens Baronius , prorsus fuerunt alieni.

3. Symmachi universae Ecclesiae Pastoris causam summo iure Romana Synodus iudicare non potuisset , nisi huius iudicio sese ille subiecisset.

4. Oecumenicam Synodum quintam Iustinianus Imperator convocavit , Vigilio Romano Pontifice non repugnante.

5. Concilio Constantinopolitano secundo praefuit Eutichius Patriarcha Constantinopolitanus : illi tamen iure suo praeses potuit adesse Vigilius.

6. Quinta haec Synodus à Vigilio Romano Pontifice , eiusque successoribus

fuit approbata , et totius demum Ecclesiae consensu recepta : unde inter Oecumenicas meritò numeratur.

7. Theodorum Mopsuestenum, eiusque libros, Theodoretì contra S. Cyrillum scripta , et Ibae ad Marium Persam Epistolam aequissimè laudata Synodus damnavit.

8. Temeritatis notam incurrerent , et anathematis subirent periculum , qui pro tribus Capitulis , aut aliquo ex illis scriberent Apologias.

9. Praeter quintum generale plurima hoc saeculo et Nationalia, et Provincialia celebrata fuere Concilia. Omnium in Hispania celeberrimum fuit Toletanum III. à clarissimo Rege Recaredo , qui , Arianorum perfidia eiurata , ad Catholicae Ecclesiae sinum migravit , convocatum. Quae in eo edita fuere ad Disciplinam attinentia decreta , latè exponemus.

10. Sanctitate , Scriptorumque copia ea tempestate S. Gregorius Magnus praesertim enituit. Fueritne S. Equitii Monachus , an S. Benedicti, disputant eruditi : illius Regulam fuisse professum , censet Baronius ; huius verò , doctissimus Mabillonius : utriusque partis nostra interest referre momenta.

11. Nonnulli non solùm heterodoxi , sed etiam Catholici Libros Dialogorum Magni Gregorii esse negarunt ; qui sanè clarissimo eiusdem Pontificis Maximi testimonio refelluntur.

12. S. Leander Gothorum Episcopus meritò nuncupatus , praeclara ingenii sui edidit monumenta , quorum nonnullis Arianorum proterviam retudit. ; Vin omnium catalogum ? percontare , si lubet.

13. Iustinianus Imperator à Catholica fide sub vitae finem defecit , atque in Aphthartodocetarum fuit prolapsus errorem.

14. Monasticum Ordinem hoc saeculo sanctissimi viri Caesarius, Aurelianus, Fructuosus , Columbanus , omnibusque feliciter S. Benedictus maximè propagarunt. Huic rei enarrandae aliquantulum immorabimur.

Septimum Ecclesiae Saeculum.

1. Sabinianum Romanum Pontificem propter avaritiam à S. Gregorii spiritu percussum in capite , et dolore ex illo ictu relicto animam exhalasse , somnium est , et mera fabella.

2. Epistola Gordiano Hispalensi Episcopo inscripta , quam sub venerando Deusdedit nomine refert Baronius , est sancto huic Pontifici penitus supposita.

3. Romanus Pontifex Honorius damnationis sententiam in sexta Oecumenica Synodo nullatenus evasit.

4. Non tamen inde inferre licebit , laudatum Pontificem impia Monothelitarum haeresi fuisse commaculatum : quinimo ad eum ab eiusmodi errore pronuntiandum immunem et pietas , et ipsa rei veritas nos cogit profectò.

5. Ast eum nascentis Monothelismi , Monothelitarumque fautorem , ac in iis coercendis negligentiae reum adseveramus.

6. Improbis Monothelitarum conatibus Sophronius Monachus , qui postea fuit

Hie-

Hierosolymorum Antistes , plurimique alii invicta constantia obstiterunt.

7. In sexto demum generali Concilio Monothelitarum haeresis , Eutychianae appendix , et surculus fuit profligata , et anathematis fulmine penitus quassata.

8. Synodum hanc Oecumenicam Agathonis summi Ecclesiae Pastoris auctoritate Constantinus Imperator accivit.

9. Theodorus , et Georgius Presbyteri , ac Ioannes Agathonis Pontificis vi-ces agentes huic praefuere Concilio.

10. Licet Monothelitae aliorum haeticorum , quorum est varias inducere formas , exempla imitati , in sui erroris expositione non semper fuerint iidem ; unicam tamen voluntatem , unamque in Christo operationem constanter propugnarunt.

11. Post Synodum VI. Iustiniano Constantis filio imperante , Trullana , quae Quinisexta vocatur , nullo Romani Pontificis assidente Legato , celebrata est.

12. Trullanorum canonum permulti , utpote quibus Ecclesiastica concutitur Disciplina , tanquam absurdi à SS. Pontificibus fuere reiecti : alii vero , qui Ecclesiasticis regulis non adversantur , iure laudati . ; Ast quinam hi , et illi ? in palaestra.

13. Pro restauranda Ecclesiae Disciplina plurima hoc saeculo Toletana fuere celebrata Concilia , in quorum duodecimo iura Primatus supra ceteras Hispaniae Ecclesias Antistiti Toletano concessa invenimus.

14. Mozarabicum Officium , quod diu in Hispanica viguit Ecclesia , anno sexcentesimo trigesimo tertio fuisse institutum , autumat Baronius ; ast multò fuisse vetustius , gravissima argumenta convincunt.

15. Nihil fuit unquam Ecclesiae funestius , quàm pestilentissima , quae , auctore Mahometo , exorta est Religionis forma , tot erroribus , fabulis , naeniisque scaturiens , ut ipsa sese evertat , funditusque comminuat.

16. S. Isidorum Hispalensem Episcopum , huiusque saeculi Doctorem egregium nec *Liber de vita , et morte Sanctorum* , nec *Epistola ad Massanum de lapsu Sacerdotis , et reparatione* Conditorem agnoscunt.

17. Contra sordidos , abiectosque tenebriones , qui veteris Helvidii insaniae scintillas in Hispania excitare coeperunt , illibatae B. Mariae Virginitatis patrocinium S. Ildephonsus suscepit.

18. Sisebutus belli , et pacis artibus , Religionisque amore eximius Hispanorum Princeps , Heraclii Imperatoris hortatu , Iudaeorum plurimos in suis degentium Ditionibus minis , suppliciorumque metu ad Christianam amplectendam Religionem coëgit ; verùm hoc factum Antistibus non fuit olim probatum.

19. Modestissimum Gothorum Regem Wambam à Concilio Toletano XII. Regno fuisse spoliatum iudicant nonnulli , quos à veritate deflectere ostendemus.

Octavum Ecclesiae Saeculum.

I. Totius Sacerdotii caput Gregorius II. Imperatorem Leonem Isaurum nec tributorum exactione privavit , nec Romam , Italiam , totumque Occidentem ab eius obedientia semovit , imò nec ipse ab eo defecit , ut quidam Graeci falsò scripserunt.

2. Ut debitus Sacris imaginibus redderetur honos , et cultus , Oecumenicum VII. Concilium Nicaenum II. fuit equidem celebratum.

3. Ab Augustis Constantino et Irene congregata est haec septima Synodus, assentiente Hadriano I. Romano Pontifice.

4. Laudato huic Concilio non Tharadius , sed per suos Legatos astitit Praeses totius Ecclesiae Pastor.

5. Religiosum sanctis imaginibus cultum non esse exhibendum , neutiquam definivit Synodus Francofordiensis : unde haec illi minimè repugnat.

6. Proscripta iam in pluribus Conciliis Felicis , et Elipandi haeresi , in Francofordiensi , quam Carolus Magnus congregavit , fuit iterum damnata.

7. Synodo huic Theophylactus , et Stephanus Hadriani SS. Pontificis Legati adfuere , atque per eos Apostolicam Sedem de fidei quaestionibus Carolus Magnus prius consuluit.

8. Felix , et Elipandus adoptivam in Christo Domino filiationem Nestorianorum sensu propugnaverunt.

9. Opinio , quae statuit , Christum quatenus hominem esse adoptivum Dei filium ratione humanitatis , etiam salva personae unitate , aut humanitatem esse adoptatam , etsi non filiam , fuit nostro quidem iudicio in Francofordiensi Concilio damnata.

10. Aldebertus , et Clemens haeretici , qui Christianam plebem hoc tempore seducere , et Bonifacio Germanorum Apostolo negotium coeperunt facessere , in Romana Synodo sub Zacharia Romano Pontifice ab omni Sacerdotali officio fuisse depositi , atque anathematis vinculo obligati. Eorum errores in arena exponemus.

11. Rem Christianam hoc saeculo adversus haereses strenuè egit S. Ioannes Damascenus , qui et primus Theologiam universam recto ordine comprehendit, viamque ad Sacram Doctrinam perspicua methodo tractandam complanavit.

12. Inter Scriptores Latinos maximè elucet Venerabilis Beda , sanctimonia, pietate , atque omnigena eruditione conspicuus. Huius , ac praecedentis scripta dabimus quaerenti.

13. Leo Isaurus , Constantinus Copronymus , huiusque filius Leo IV. parenti impietate simillimus , Iconomachorum partibus indivulsè adhaeserunt , dirèque vexarunt Catholicos.

14. Adscriptam Carolo Magno Epistolam maledictis , conviciisque in Adrianum I. refertam, quòd Synodum VII. et sacrarum imaginum cultum hicce approbaverit , heterodoxi quidam producant. Sed quis petulantium hominum non derideat , negligatque commentum ?

IX , et X Ecclesiae Saeculum.

1. In Apostolica Petri Cathedra inter Leonem IV. et Benedictum III. meretriculam , audacemque sedisse mulierculam nomine Ioannam , putidissima est fabella omni veritatis specie ita destituta , ut monstri loco debeat haberi , viros extitisse , qui huic adserendae operam suam impenderint.

Plu-

2. Plurium, foedissimorumque criminum accusatus Romanus Pontifex Ioannes XII, in Romana Synodo ab Ottone Imperatore coacta è Sede Apostolica fuit deturbatus, eiusque loco Leo adhuc laicus fuit consecratus, qui non legitimus Pastor, sed Antipapa est censendus.

3. Summus Pontifex Silvester II. tanquam praestigiator, et magicis artibus imbutus, à nonnullis deturpatur; sed inanes horum ratiunculae unico flatu evanescent.

4. Bardae, Gregorii Syracusani, et Photii conspiratione Ignatius Constantinopolitanus Patriarcha fuit è Sede sua violenter detrusus.

5. Photius opibus potens, turpique ambitione ad quodvis nefas audendam paratissimus, Constantinopolitanam Sedem invasit, ac latrocinialis Synodi confirmatione impiè, ac sacrilegè occupavit.

6. Garrulum hunc impiissimorum hominum coetum Nicolaus I. Pontifex Maximus irritum esse iustè declaravit, Ignatium restituit, suosque Legatos, qui minis concussi, ac muneribus illecti, proprium ministerium proditione foedarunt, tamquam praevaricatores prudenter, meritòque damnavit.

7. Ea fuit Photii rabies, et petulantia, ut perspicacissimum Ecclesiae universalis Pastorem Nicolaum in Conciliabulo à se coacto diris devoverit, Encyclicas contra Romanam Ecclesiam scripserit litteras, ac funestum Schisma ausu nefando confirmaverit.

8. Ut igitur optata pax, et tranquillitas, quam protervus, insanusque Photius Sedis Constantinopolitanae usurpatione substulerat, Ecclesiae redderetur; Concilium Constantinopolitanum IV. meritò fuit celebratum.

9. A Basilio Imperatore, Romano Pontifice Adriano II. consentiente, Constantinopolitanum IV. Concilium fuit convocatum.

10. Ad hanc Oecumenicam Synodum Donatum, ac Stephanum Episcopos, et Marinum Diaconum, qui legationis munus obirent, eiusque nomine praesiderent, direxit Adrianus.

11. A Patribus Synodi VIII. Oecumenicae viginti septem conditi fuere canones, qui ad Ecclesiae Disciplinam spectant.

12. S. Ignatio defuncto, Constantinopolitanam Sedem iterum Photius arripuit, qui Pseudo-Synodum adversus Constantinopolitanam IV. celebravit.

13. Photianam hanc Synodum, Photiumque ipsum Ioannes VIII. sibi succedentes Pontifices damnaverunt: mentiuntur itaque Graeculi quidam, qui eum in Ecclesiae Romanae communione obiisse defendunt.

14. Additio particulae *filioque* ab Hispanis primùm, postea à Gallis Symbolo facta, à Nicolao I. Pontifice Romae, et in tota Occidentali Ecclesia fuit demum recepta.

15. Non solum ex Synodis in Gotescalchum coactis, sed etiam ex ipsius scriptis apertè convincitur, Praedestinatianorum errores, aliosque sibi imputatos docuisse.

16. Gotescalchi erroribus suffragata non est Lugdunensis Ecclesia, eum tamen aliquatenus patrocinata fuisse videtur.

17. Ratramno Monacho Corbeiensi, non autem Ioanni Scoto adscribendus

est liber *de corpore*, et *sanguine Domini* sub Bertrami nomine vulgatus.

18. Electoralis Collegii, seu septem virorum, penes quos esset Imperatoris eligendi potestas, Gregorio V. Romano Pontifice longè posterior est institutio.

19. Nec Innocentio IV. in Lugdunensi Concilio id tribuendum esse arbitramur: quid tamen hac in re verisimilius appareat, data occasione statuemus.

20. Clarissimum nono saeculo Hispaniae nostrae sidus affulsit: Beati Iacobi Apostoli corpus, quod tamdiu latuerat, Alfonso Casto regnante, laetissimo Hispanorum omnium plausu fuit tandem inventum. Quo id pacto contigerit, sciscitanti aperiemus.

XI. et XII Ecclesiae Saeculum.

1. Diploma de corpore S. Dionysii Areopagitae Ratisponae existentis, quod anno MLII nonis Octob. fertur à Leone IX. datum ibidem, pseudepigraphum est, huicque Pontifici perperam adscribitur.

2. Berengarii haeresis, quae, instar hydrae, multis erat instructa capitibus, realem corporis, et sanguinis Christi in Eucharistiae Sacramento praesentiam, et conversionis substantialis panis, et vini in idem sacratissimum corpus veritatem negavit.

3. Ut primùm prodire coepit haec haeresis, et à viris doctissimis, et à pluribus Conciliis fuit profligata; haec, illosque si scire desideras, roga, dum libeat.

4. Berengarius ad meliorem frugem conversus, ab haeresi sua tandem verè resipuit, et Catholicam fidem, quam prius impugnaverit, fuit ad mortem usque professus.

5. Photianum Schisma renovavit, initumque inter Orientalem, et Occidentalem Ecclesiam foedus confregit Michael Cerularius, Patriarcha Constantinopolitanus. Rei huius causas in arena texemus.

6. Gregorius VII. Pontifex Maximus, Ecclesiasticae libertatis acerrimus vindex Germaniae Regem Henricum, quem omnibus mediis ad officium, sed frustra, revocare tentavit, anathematis fulmine iure confodit.

7. Gregorium VII. morti proximum latam in Regem Henricum rescidisse sententiam, ipsumque absolvisse, falsò scripsit Sigebertus.

8. Quid investiturarum nomine debeat intelligi, quae earum origo, et quisnam fuerit ante Gregorii VII. Pontificatum status, à nobis in Palaestra sunt aperienda.

9. In Concilio Oecumenico Lateranensi I. quod Callixtus Papa II. convocavit, et illi per se ipsum praefuit, composita est de Investituris controversia.

10. In laudato Concilio Imperator Henricus Episcopatum, et Abbatiarum per baculum, et annulum Investituras dimisit, atque canonicas electiones liberè fieri permisit.

11. Imperatori Ecclesia concessit, ut Electiones fierent, eo praesente; et, si quae oriretur discordia, ipse saniori parti assensum, auxiliumque praerberet; electus verò Regalia ab eius Maiestate per sceptrum acciperet.

Nec

12. Nec plures, nec pauciores, quàm viginti duo canones ad Disciplinam Ecclesiae spectantes, editi fuere in Lateranensi I. Concilio.

13. Schisma à Petro Leonis conflatum, Petrobusianorum, et Arnaldi de Brixia haereses, collapsae Disciplinae restauratio fuit triplex causa Synodi Lateranensis II. convocandae.

14. Plerosque in errores verè Abaelardus impegit: in quibusdam tamen capitibus potius in modo loquendi, quàm re ipsa ab Ecclesiae doctrina aberrasse videtur.

15. De viri huius fortuna, erroribus, et Conciliis, in quibus subiit damnationem, non pauca aperire pollicemur.

16. Apologeticum pro Petro Abaelardo litteris mandavit Berengarius Pictaviensis eius discipulus; verùm contumelioso in S. Bernardum, et Concilium Senonense libello nulla est fides adhibenda.

17. Post errorum emendationem ad religiosissimam virtutum normam mores composuit, huiusque vitae institutum ad mortem usque constanter servavit Abaelardus.

18. Concilium Lateranense III. quod XI. est Oecumenicum, Alexander III. Pont. Max. convocavit, qui et illi praesedit.

19. Triplici de causa fuit haec Synodus congregata; ut nempe Schismati dein vitando consuleretur, Waldensium, et Albigensium damnarentur errores, et depravati usura, simonia, aliisque erroribus mores ad Ecclesiasticam Disciplinam exigerentur.

20. Praeter haereticos, quos mox recensuimus, plurimi alii extitere, qui vel extinctos recoxerunt errores, vel novos proprio Marte cuderunt: Turpem horum catervam, haereticasque ab ipsis disseminatas sponte pandemus ineptias.

21. Liber, et Epistola de conceptione B. Virginis Cantuariensi Archiepiscopo Anselmo meritò abiudicantur.

22. S. Bernardus Patrum Ecclesiae novissimus, ingenio sublimi, et formata ad virtutem indole praeditus, ita micantem doctrinae suae splendorem diffudit, ut vel ipsi etiam heterodoxi veritate coacti illum ignorare nequiverint.

23. Petrus Lombardus sparsas ubique SS. Patrum sententias in unum corpus redegit, quatuorque libros ornavit, qui Magistri sententiarum sibi nomen pepererunt, segetemque Theologis praebuerunt uberrimam. Aliqui in laudato opere naevi inveniuntur, de quibus tuo palato nostra respondebit oratio.

24. Editam à Gratiano Decretorum collectionem ab Eugenio III. fuisse approbatam, commentum est, quod Augustinus Antonius Dialog. 3. meritò refellit.

Decimum tertium Ecclesiae Saeculum.

1. Innocentio III. incrementi Religionis studiosissimo, aequique cultori maxime egregio avaritiae labem iniquè aspergit Matthaeus Parisius; verùm absque insigni calumnia id de tanto viro adseverari non potest.

2. Anno Iesu Christi MCCXIII supremum Ecclesiae caput Innocentius III. Lateranense IV. generale convocavit Concilium, quod post duos annos cum dimidio Romae erat celebrandum.

San-

3. Sanctae huic universali Synodo, cui duodecim supra quadringentos Episcopi adfuere, laudatus idem Pontifex praefuit.
4. Pro Palaestina è Saracenorum potestate recuperanda, haereseon damnatione, universalisque Ecclesiae reformatione fuit Sancta haec Synodus celebrata.
5. Inanibus fulti ratiunculis, nihil in hocce Concilio fuisse sancitum, quidam docuere, quorum os ipsius definitione occludemus.
6. Quamvis in errorem lapsus sit Ioachimus Abbas Florensis, non tamen haereseos nota est ipsi inurenda, cum in errore pertinax non extiterit, et Ecclesiae iudicio omnia scripta sua subiecerit.
7. Albigenses haereticos iustissime tradidit Ecclesia saeculari potestati, ut ab ea poenis temporalibus plecterentur.
8. In conflato adversus Albigenses haereticos bello conditiones omnes, quae ad bellum iustum gerendum sunt necessariae, proculdubio inveniuntur.
9. Friderici II. Imperatoris crimina, et illatae ab eo Ecclesiae Romanae iniuriae Lugdunensi I. Concilio, quod est generale XIII., celebrando occasionem dedere.
10. Ab Innocentio IV. Pontifice Maximo convocatum fuisse Lugdunense I. Concilium, illumque huic praesidem astitisse, certo certius est.
11. Quadruplici de causa à nobis in agone exponenda coactum fuit generale Concilium XIV. quod est Lugdunense II.
12. Concilio huic, cui et ingens Episcoporum, Doctorumque numerus, et praecipuorum Orbis Principum Oratores adfuere, per se ipsum praefuit Gregorius X. universalis Ecclesiae Pastor.
13. Haeresis Almarici, eiusque discipulorum, qui novis erroribus Magistri superarunt audaciam, à Parisiensi Concilio fuit quidem damnata, et tanquam insana prorsus est exhibilanda.
14. Contra Praedicatorum, et Fratrum Minorum Ordines, ceterosque in Religiosa paupertate viventes verbis, scriptisque insiliit Guillelmus de S. Amore; at pestilentissimum eius librum Alexander IV. damnavit, flammisque meritò ad iudicavit.
15. De Stadinghis, Circumcellionibus, Flagellantibus, Fratricellis, Beguardis, et Beguinis verba facere pollicemur.
16. Theologiam Scholasticam, quam ad certam methodum Magister Sentent. perduxerat, plures clarissimi viri hoc saeculo illustrarunt. Eminent inter eos nunquam satis laudandus B. Thomas Aquinas, cuius egregia, innumeraque opera auro, cedroque digna *Doctoris Angelici* nomen sibi aequissimo iure compararunt. Ea referre nobis erit gratissimum.
17. Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti officium, quod universa concinit Ecclesia Latina, Angelici Praeceptoris genuinum est opus.
18. Summa cum laude floruit quoque Seraphicus Doctor S. Bonaventura, qui ob singularem sapientiam Lugdunense II. Concilium meruit dirigere.
19. Corporis Christi festivitatem Urbanus IV. instituit. Originem, ac occasionem iucundè narrabimus.

Decimum quartum Ecclesiae Saeculum.

1. Ioannes XXII. in eam quidem veterum quorundam propendit sententiam, Sanctorum animas adusque supremi iudicii diem beatifica Dei visione non fruturas ; eandem tamen ut fidei dogma credendum nunquam Ecclesiae proposuit.
2. A Clemente V. convocatum est Viennense generale Concilium , cui ipsemet praefuit Romanus Pontifex.
3. Iubilaei annus à Clemente VI. Pontifice Maximo ad quinquagesimum fuit coarctatus.
4. In sancto hoc universali Concilio Templariorum Ordo iustis de causis abrogatus fuit , et extinctus.
5. Christianissimum Regem Philippum Pulchrum Templariorum Ordinis abolitionem eo fine promovisse , ac curasse , ut eorum bonis frueretur , pura , puta-que est calumnia.
6. Plurimas hoc saeculo Synodos celebravit Hispania , quò Ecclesiastica Disciplina renovaretur.
7. Ioannis Wicleffi haeresis in concutiendo integro Ecclesiae statu Novatoribus praelusit , illumque proinde tanquam antesignanum Lutherani iactant , et Calvinistae.
8. Labente hoc saeculo , ritus baptizandi per immersionem apud Latinos evanuit , mosque per effusionem conferendi Baptismum obtinuit.
9. Complures Religiosorum virorum familiae , ac Congregationes hisce temporibus sunt institutae , de quibus tuo nutui obtemperabimus.
10. Ex ingenti Scriptorum numero , qui XIV. saeculo floruerunt , de re Theologica optimè meritis est Ioannes Duns Scotus Ordinis Minorum.
11. De Raymundo Lullo non una est Scriptorum sententia ; alii eum recensent inter haereticos , alii de fide suspectum , multisque implicatum erroribus pronuntiant , alii demum ut Martyrem , Doctoremque illuminatum venerantur : nos cuiuslibet sententiae prodemus momenta.

Decimum quintum Ecclesiae Saeculum.

1. In Pisano Concilio , quod verè Oecumenicum fuisse fatemur , adversus Petrum de Luna , et Angelum Corarium lata est depositionis sententia , atque Alexander V. unanimi fuit electus consensu.
2. Ioannes XXIII. Alexandri successor Constantiensem Synodum convocavit , huicque non ille solùm , sed et Cardinales , et demum Martinus V. praefuerunt.
3. Ad schismatis , quo iam diu laborabat Ecclesia , extinctionem ; ad Disciplinae , morumque reformationem ; et ad Catholicam fidem adversus Wicleffum , Ioannem Hus , ac Hieronymum de Praga stabiliendam fuit haec Synodus celebrata.
4. Indictum Papiæ à Martino V. Concilium , ab eoque Senas translatum , et ibidem celebratum , Oecumenicis debet annumerari.

5. Basileensem Synodum indixit Martinus V. quo è vivis sublato , ratam habuit convocationem suffectus ei Eugenius Romanus Pontifex.

6. Ad tentandam Bohemorum cum Ecclesia Catholica unionem , pacem inter Christianos Principes , qui bellis Christianam Rempublicam lacerabant , conciliandam , et ad Cleri reformationem coactum fuit Basileense Concilium.

7. Quadraginta quinque Sessionibus Basileensis Synodi acta continentur; non tamen in omnibus , sed in his tantum , quibus Pontifex Eugenius adhaesit, pro Oecumenica debet haberi.

8. Florentinum Concilium, quod coepit Ferrariae, atque Florentiam fuit deinde translatum , ad Orientalis Ecclesiae cum Occidentali unionem est celebratum.

9. In Florentino Concilio de processione Spiritus Sancti à filio , et additione particulae *Filioque* Symbolo facta longè fuit disceptatum ; sed, inita tandem concordia , Graeci omnes , uno excepto Marco Ephesino , Synodi definitionibus subscripsere.

10. Adversus Marcum Ephesinum , eiusque gregales definiit Sancta Synodus, particulam *Filioque* iure , meritòque Symbolo esse additam.

11. Nefaria Wicleffi dogmata sequuti Ioannes Hus , ac Hieronymus de Praga , vivi fuerunt combusti : iniquè , et iniustè id factum queruntur haeretici; sed toto ore mentiuntur.

12. Ex Hussitis orti sunt perfidi Thaboritae , Orphani , et Calixtini , quorum errores ostendere , et confutare muneris nostri erit.

13. Ex Gallia Belgica prodierunt etiam Adamitae , ac Fossarii , quibus impudentiores , brutisque similiores vidimus nullos.

14. Inter eos , qui maximam hoc saeculo laudem , ac venerationem sibi compararunt , praecipua commendatione sunt digni S. Antoninus , S. Bernardinus Senensis , S. Vincentius Ferrarius , S. Laurentius Iustinianus , ac Thomas de Kempis , cui libri de imitatione Christi sunt adscribendi.

15. Ad studiosorum commodum , et litterarum splendorem quamplurimum contulit typographicae artis inventio , quam ad annum 1440. referunt Historici.

16. Apud Sinenses , et Mexicanos ante plures annos hanc artem obtinuisse , nonnulli contendunt : nos verò maximam Germanis gloriam non audemus denegare.

17. Aequissimo iure , gravissimisque momenti ducta est Ecclesia , ut laicos, et Sacerdotes non conficientes Sacramentum , sub sola panis specie communicaret.

Decimum sextum Ecclesiae Saeculum.

1. Iulius II. Romanus Pontifex animi magnitudine Iulium Caesarem aemulatus, Perugia Balliones , Bononia Bentivolos expulit , Vaticanae Aedis fundamenta proiecit , plurimasque edidit Constitutiones Ecclesiae maximè salubres , de quibus rogati.

2. Leonem X. Pontificem Maximum permultis probris , iniuriis , calumniisque acriter perstringunt quidam haeretici , qui ex Desiderio Erasmo coaevo auctore, ipsisque minimè suspecto facilè , palamque confutantur. Eius texendae apologiae alacres accingemur.

La-

3. Lateranense V. Concilium Pisano Conciliabulo adversus eum coacto merito opposuit Iulius II. qui morte occupatus, successori Leoni X. absolvendum reliquit.

4. Ad fidem contra haeresum monstra confirmandam, restituendamque Ecclesiae Disciplinam, quam bella, ac errores plurimum labefactaverant, Tridentinum Concilium praecedentium generalium corona, à Paulo III. fuit convocatum.

5. Laudatum hocce Concilium ceu legitimum, et Oecumenicum, ab omnibus orthodoxis habendum, colendum, et suscipiendum esse, ecquis nisi hominum stultissimus in dubium revocabit?

6. Praeter iam celebrata Concilia, plurima alia ab Ecclesiarum Praesulibus habita fuere, in quibus potissimum eminent, quae à S. Carolo Borromeo sunt instituta: in his enim perfectissima Ecclesiastici regiminis norma, exacta Sacramentorum administratio, irreprehensibilis Clericorum honestas, Christianaeque vitae rudimenta traduntur, et declarantur.

7. Nulla aetas saeculo, in quo versamur, haeticorum hominum, errorumque fuit unquam feracior: omnium specimen Iliade certè longius in propatulo collocabimus, si vestra patiatur humanitas; cuncta enim hìc singulatim referre, vobis, nobisque non erit iucundum.

8. Ad haeresis incrementum maximè contulit Anglicanum Schisma. Henricus VIII. qui ob Lutheri impugnationem *Defensoris fidei* titulo fuerat decoratus, Anglicanae Ecclesiae se caput constituens, in pervicacem prolapsus est iniquitatem. Huius schismatis originem, et causas dabimus quaerenti.

9. Plurimas Michaelis Baii propositiones Diplomate, quod incipit *Ex omnibus afflictionibus*, Pius V. confixit, confirmavitque Gregorius XIII.

10. Inter eos, qui hoc saeculo Hispaniam nostram illustrarunt, praetermitti certè non debet Franciscus Ximenius Toletanus Archiepiscopus, ex Ordine FF. Minorum assumptus, nobilitate, doctrina, sanctimonia clarissimus; Hispanici Regni administratione, Orani Maurorum Urbis munitissimae expugnatione, Granatensium Maurorum conversione, accuratissima Bibliorum editione, Complutensis Academiae erectione, ad posteritatis memoriam celeberrimus. Singulas tanti viri dotes, atque egregia ab eo patrata facinora fusius exponemus.

11. Universam virorum copiam, qui hac tempestate tam bene de Ecclesin, et Christiana Republica meriti sunt, recensere, immane est sanè onus, cui nos impares probè novimus: excellentiores tamen, quique ceteris praestitere, data occasione enumerabimus.

Decimum septimum Ecclesiae Saeculum.

1. Dirimendae de auxiliis controversiae animum Paulus V. adplicuit; sed gravissima lite, quae ipsum inter et Venetam Rempublicam erat exorta, distentus, dissidentes partes intra modestiae fines iussit contineri. Cave tamen existimes, hoc agendi modo M. P. Augustini, et Doctoris Angelici doctrinam proscripsisse.

2. Cornelii Iansenii Iprensis Episcopi opus, quod *Augustinus* inscribitur, magnum

gnum excitavit incendium: in Ecclesiae verò communione, cuius correctioni Scripta sua subiecit, ex hac ille vita decessit.

3. In Iansenianis propositionibus id enuntiatur: *Aliqua Dei praecepta hominibus iustis conantibus, et volentibus, secundum praesentes, quas habent vires, esse impossibilia, eosque gratia, qua fiant possibilia, destitui.*

4. Errare profectò, atque in meridie caecutire censendus est ille, qui errorem hunc M. P. Augustino, eiusque discipulis audet affingere.

5. A S. Doctoris mente prorsus etiam aliena est haec propositio, quam in suo Augustino protulit Iansenius: *Interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistitur.*

6. Iansenii quoque genuinus est foetus hic error: *Ad merendum, et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione:* ab hoc, quantum à tenebris lumen, tantum distat Augustini doctrina.

7. Ex prolato iam libro excerpta est etiam haec propositio: *Semipelagiani admittebant praevenientis gratiae interioris necessitatem ad singulos pietatis actus, etiam ad initium fidei, et in hoc erant haeretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.*

8. Iansenii fuit tandem sententia: *Semipelagianum esse dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.*

9. Ab Innocentio X. ac ab Alexandro VII. proscriptae sunt recensitae quinque propositiones, et quidem in sensu obvio, quem verba prae se ferunt.

10. Exorta est ulterius hoc saeculo praetextu elevandi animas ad spiritualis, et mysticae vitae perfectionem perniciosissima *Quietistarum* secta; huius princeps Michael Molinos, cuius adserta ab Innocentio XI. Const. *Coelestis Pastor* fuere damnata. Turpissima Mystices huius elementa in circo aperiemus.

11. Edictum Caroli Maigrot ab Apostolica Sede ad Sinas missi providè, rectèque prohibuit cultum Confucio, et Progenitoribus exhibitum, tabellas eisdem appensas, vocesque *Xang Ti*, ac *Tien*.

12. Ritus à Carolo Maigrot proscriptos, pluraque alia Sinensium usu recepta solemnè Edicto aequissimè damnavit Thomas de Tournon Apostolicus Legatus.

13. Decretum Cardinalis de Tournon Clemens XI. Benedictus XIII. Clemens XII. et Benedictus XIV. ratum habuere, eique auctoritate sua robur addidere.

14. A clarissimo viro Iosepho Stephano, Oriolano Antistite celebrata est hoc saeculo Synodus Oriolana, in qua de receptione Sacri Tridentini Concilii, de diligenti à Parochis in conversione *Morischorum* opera adhibenda, multisque aliis cum ad Sacramenta, tum ad Disciplinam pertinentibus actum est.

15. Quot, quantique viri litteris, et doctrina conspicui hoc saeculo floruerint, vix, aut ne vix quidem, à nobis possunt in medium produci: Celebriores tamen Exegeticos, Dogmaticos, Polemicos, Theologos, Historicos, Criticos, Asceticos, Iuristas per summa tantùm capita referemus.

Decimum octavum Ecclesiae Saeculum.

1. Romanus Pontifex Clemens XI. in hacce periodo: *Hodie forma servi reversa est in formam Dei*, inscitè, atque imprudenter Eutythianae haereseos insimulatur.

2. Si non tempore, saltem dignitate ceteras huius saeculi Synodos antecellit Lateranensis sub Benedicto XIII. ; ast quid in ea gestum? interroga.

3. Synodus Montis Libani, quam Benedictus XIV. adprobavit, non infimum hoc saeculo locum obtinuit.

4. Ioannes Clericus ob maximam librorum copiam in litteraria Republica maximè notus, non solùm Arminianis adhaesit, ac Pelagianorum pressit vestigia; sed etiam necessariam non esse fidem in Christi Divinitatem, impio ore stabilire tentavit.

5. Absurdissima est M. Lock sententia in libro, cui titulus: *Christianisme Rationable*, quo statuitur, duo tantùm esse credenda, tanquam fundamentalia Religionis Christianae decreta, videlicet, Deum esse unum, et Christum ab illo fuisse missum: unumquemque verò haec credendo salutem consequi, modò sectae suae, qualiscumque ea sit, obtemperet institutis.

6. Praeter Protestantes, et Remonstrantes, etiam Contraremonstrantes prodire, quorum haereticorum dabimus notiones.

7. Occulta etiam erupit hominum societas, quam gallicè vocant *Des Francs-Mazons*, quorum proprium est secreta peragere conventicula, Priscillianistarum sectam redolentia. Hanc severioribus legibus Benedictus XIV. et Clemens XII. Pontifices Maximi proscripserunt.

8. Viros omnes eruditione, et doctrina excellentes, qui litterarum splendorem auxere, augentque in dies magno plausu sapientium, enumerare, onus est viribus nostris prorsus impar; quapropter, ut in praecedenti saeculo, ita in decurrenti illustriores leviter attingemus.

En Tyria maria hucusque ambulavimus, humanissime Lector: facta, transacta omnia: si quidquam peccavimus, impigro animo connive, figamque trabali clavo hoc beneficium; si autem aliqua ex parte munus nostrum explevimus, id Deo O. M. referimus acceptum. VALE.

Vt. D. D. Bruno Andreu,
V. G. I.

Vt. Balaguer,
Cens. Reg.

Vt. Dr. D. Iosephus Iover,
Stud. Reg. et Rect.

Dei in octavum Benedicti Auctoris

1. Romanus Pontifex Clemens XI. in hac peribitio: Hic forma texti rursus
 sa est in forma Dei, inquit, sicut imperantur. Hic peribitio interest in
 latum.

2. Si non tempore, rursus dignitate totius hinc auctori Synodos antecessit
 Interrompsit sub Benedicto XIII. et eundem in ex gratia? interrogat.

3. Synodus illa hinc hinc, quam Benedictus XIV. adhibuit, non innum
 hoc sacro sacro obmittit.

4. Iohannes Clericus ob maximam litterarum copiam in litteraria Republica
 maximus natus, non solum Aristoteli obesse, ac Philosophorum presertim (aliqui)
 sed etiam necessarium non esse hinc in Causa Divinitatem, impio ore stabili
 tentavit.

5. Absurdissimum est M. Lock sententia in libro, cui titulus: Christianisme
 Rationable, pro statuit, duo tantum esse elementa, tanquam fundamenta
 Religionis Christianae decora, videlicet, Veritas esse verum, et Christum ad illo
 fuisse naturam: unumquodque vero haec elucendo aliam consequi, modo sacris
 sacris, qualescumque ea sit, obtemperet in istis.

6. Praeter Protestantes, ac Remonstrantes, etiam Contramontanos pro-
 dicit, quos haereticorum dicitur nomine.

7. Occula etiam erigit dominum societatis, quam Gallice vocant Les Freres
 Micales, quorum propositum est sepe peragere conventibus, Philosophiarum
 sacras redolentibus. Haec severioribus legibus Benedictus XIV. et Clemens XII.
 Pontifices Maximi proscripserunt.

8. Vires omnes eruditionis, et doctrinae excellentes, qui litterarum splendore
 rem auxere, augentque in his magno placent capitationis, emulcationis, omnis est
 virtus nostra prope impit; quod propter, ut in praecedenti saeculo, in in de-
 currenti illarum leviter attingunt.

9. In Typographia hinc hinc, hinc hinc, hinc hinc, hinc hinc, hinc hinc, tran-
 eacta omnia, si quidem persequitur, impitque animo connive, hinc hinc gradali
 clavo hoc benedictum, et sicut aliquid ex parte manus nostrum exploramus, id
 Deo O. M. referimus adoperamur. V. A. B.

Ed. D. D. Bruno Naber, V. G. I.
 Caus. Reg.

Ed. Dr. D. Josephus Jover,
 Caus. Reg.

